4

Tractatus DE RECURSU *Ad Protectionem* PRINCIPUM In Neceſſitate, contra Violentiam CLERICORUM.

BIBLIOTHECA BODLEIANA

Per R. P. Fr.
THOMAM HAROLDUM,
Sacræ Theologiæ Lectorem Jubilatum.

Principes non ſunt timori, boni operis, ſed mali. Vis autem non timere poteſtatem, bonum fac, & habebis laudem ex illa. Dei enim miniſter eſt tibi in bonum. Si autem malum feceris: time non enim ſine cauſa gladium portat. Dei enim Miniſter eſt: Vindex in iram, ei qui malum agit; ideo neceſſitate ſubditi, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam, Rom. 13.

8.

PARISIIS, Permiſſu & juſſu Superioris.

Mandatum Superioris.

Frater Franciſcus Coppingerus, ſacræ Theologiæ Lector Generalis, Fratrum Minorum ſtrictioris obſervantiæ, Provinciæ Hiberniæ, Vicarius Provincialis, Reverendo Patri Thomæ Harol-do, *ſacræ Theologiæ Lectori Jubilato, ſalutem in Domino ſempiternam.*

APoſtolicis verbis, Ut injuriarum, quas patior, participem te alloquor, quia uſque in hanc horam & eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus, nam Catholicis omnibus vetitum eſt per noſtros Regni Ordinarios, nobis eleemoſynam elargiri, etiam publice eam petentibus. In omnibus igitur tribulationem patimur, ſed non anguſtiamur; aporiamur, ſed non deſtituimur; perſecutionem patimur, ſed non dereliquimur; dejicimur, ſed non perimus. Cum igitur inter tot tumeſcentes maris undas, diutius, abſque ſpeciali ejus providentia, qui beatum Petrum, ne in fluctibus mergeretur, erexit, Perſeverare non valeamus, tibi harum tenore, & cum merito ſalutaris obedientiæ, præcipimus, quatenus diligenter examines, & prælo qnamprimum ſubjicias, quid tibi videtur, an in tali neceſſitate liceat recurrere ad protectionem Principis.

Datum in loco regii noſtri 1670.

Fr. Franciſcus Coppingerus vicarius Provincialis.

Carolo II. Regi

Magnæ Britaniæ, Franciæ, & Hiberniæ, &c.

Sereniſſime Princeps,

SUpremus ille Theologorum Princeps, D. Paulus, Doctor Gentium, & Apoſtolus Chriſti, in tertium cœlum raptus, ubi audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui, ac in eſſentia divina, clare & intuitive vidit, vel divina ſaltem revelatione didicit, unde Principum poteſtas originem traxit, quam bene ordinetur, qui reſiſtant Principum poteſtati reſiſtentes, quamque propterea pœnam mereantur. A Deo

(à quo nihil poteſt eſſe inordinatum, quique in pondere, numero, & menſura omnia diſponit) originem duxiſſe confidenter aſſerit: Ideoque ei reſiſtentes, Dei ordinationi reſiſtere, ac pœnam mereri æternam. Audiat quæſo, MAJESTAS Veſtra, ipſummet vas Electionis ad Romanos 13. pro Veſtra, non minus quam pro aliorum Principum poteſtate viriliter, ſimul ac divinitus pugnantem, *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non eſt enim poteſtas niſi à Deo. Quæ autem ſunt à Deo, ordinata ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.* Aſſignat præterea idem Apoſtolus finem non quidem ultimum, (quia ſolus Deus qui eſt *Alpha* & *Omega*, eſt finis ultimus omnium rerum) ſed immediatum hujuſce poteſtatis à Deo ordinatæ (cui reſiſtere nefas eſt, æterna quoque damnatione dignum) nempe ut Princeps ſit Dei Miniſter,

ſter, ſive in bonum, ſive in malum. Efficaciſſimum denique nobis medium, ſicut & remedium coram oculis proponit, quo ſupremam hanc in terris poteſtatem à Deo ordinatam, non ſolum non timeamus ſerviliter, verum etiam condignam promptæ noſtræ fidelitatis præmium expectemus. *Vis*, inquit, *non timere poteſtatem, bonum fac, & laudem habebis ex illa.* Ecce in promptu eſt ejus ratio. *Dei enim miniſter eſt, in bonum tibi.* Solis itaque perverſis, legumque tranſgreſſoribus, nec non poteſtati à Deo ordinatæ, reſiſtentibus, timendum eſſe, Spiritu Sancto plenus docet, his verbis. *Si autem malum feceris, time, non enim ſine cauſa gladium portat, Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei qui malum agit.* Quamobrem ad filialem nos ſubjectionem inducit, *non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.* Et quod ideo tributa præſtamus, *quia miniſtri Dei ſunt, in hoc ipſum ſervientes.* Utque eo promptius

(à quo nihil poteſt eſſe inordinatum, quique in pondere, numero, & menſura omnia diſponit) originem duxiſſe confidenter aſſerit: Ideoque ei reſiſtentes, Dei ordinationi reſiſtere, ac pœnam mereri æternam. Audiat quæſo, MAJESTAS Veſtra, ipſummet vas Electionis ad Romanos 13. pro Veſtra, non minus quam pro aliorum Principum poteſtate viriliter, ſimul ac divinitus pugnantem, *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non eſt enim poteſtas niſi à Deo. Quæ autem ſunt à Deo, ordinata ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.* Aſſignat præterea idem Apoſtolus finem non quidem ultimum, (quia ſolus Deus qui eſt *Alpha* & *Omega*, eſt finis ultimus omnium rerum) ſed immediatum hujuſce poteſtatis à Deo ordinatæ (cui reſiſtere nefas eſt, æterna quoque damnatione dignum) nempe ut Princeps ſit Dei Miniſter,

ſter, ſive in bonum, ſive in malum. Efficaciſſimum denique nobis medium, ſicut & remedium coram oculis proponit, quo ſupremam hanc in terris poteſtatem à Deo ordinatam, non ſolum non timeamus ſerviliter, verum etiam condignam promptæ noſtræ fidelitatis præmium expectemus. *Vis*, inquit, *non timere poteſtatem, bonum fac, & laudem habebis ex illa.* Ecce in promptu eſt ejus ratio. *Dei enim miniſter eſt, in bonum tibi.* Solis itaque perversis, legumque tranſgreſſoribus, nec non poteſtati à Deo ordinatæ, reſiſtentibus, timendum eſſe, Spiritu Sancto plenus docet, his verbis. *Si autem malum feceris, time, non enim ſine cauſa gladium portat, Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei qui malum agit.* Quamobrem ad filialem nos ſubjectionem inducit, *non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.* Et quod ideo tributa præſtamus, *quia miniſtri Dei ſunt, in hoc ipſum ſervientes.* Utque eo promptius

hilariuſque poteſtati à Deo ordinatæ in omnibus morem geramus, Dominis carnalibus obtemperare mandat, tanquam Chriſto. Delectat proculdubio Regiam Majeſtatem, Apoſtolum ſanctiſſimum ad Epheſios 6. legere. *Servi* (inquit) *obedite Dominis carnalibus cum timore & tremore in ſimplicitate cordis veſtri, ſicut Chriſto.* Infallibili hac doctrina, quam vas Electionis, in cœlis hauſit, & in terris eructavit, tanquam verbum bonum; imbutus, ad Majeſtatem Veſtram proſtratus accedo, humillime exponens ex parte Patris Franciſci Coppingeri, Fratrum minorum Ordinis S. Franciſci, Superioris Provincialis, aliorumque Fratrum eidem adhærentium, quod licet in Canones Romanæ Eccleſiæ, cujus ſunt Filii; aut in Regulam S. Franciſci, cujus ſunt Profeſſi, nihil peccaverint, tamen P. Petrus Geanor, ejuſdem Ordinis, vel ejus complices ſeu protectores, aut potius illi, qui Remonſtrantiæ fidelitatis

erga

erga Majeſtatem Veſtram in Temporalibus & Civilibus, plurimum adverſantur, nomen eorum, coram Romanæ Eccleſiæ miniſtris, Ordiniſque ſuperioribus, in locis ultra marinis *fætere fecerunt*; non ſecus ac Hæreticorum aut Schiſmaticorum, vel ſaltem in Hæreſim, vel Schiſma tendentium: eo potiſſimum nomine, ut cum prætenſa dictorum miniſtrorum, ac Superiorum Authoritate, Majeſtatis Veſtræ ſubditis, ſervitutis jugum imponatur. An propter fidelitatis votum, ſeu remonſtrantiam, quæ *P*etro Valeſio communiter attribuitur; Novit ſcrutator cordium, præfatorum miniſtrorum literæ, Superiorumq; proteſtationes demonſtrant, & vulgus deniq; clamat. Negant tamen fautores, & forte promotores *P*atris Geanor, ſed *ex fructibus eorum cognoſcimus eos*. Ne intolerabile hoc jugum, licitis mediis, a ſubditis ſuis, auferatur; adverſæ partis ſtratagemata, omnem eis ac competentem Judicem,

acceſſum calide obſtruxerunt. Arma militiæ noſtræ ſunt ſpiritualia, Canones ſcilicet Eccleſiæ Catholicæ, Ordinis ſtatuta, Regula S. Franciſci, jus divinum & humanum, poſitivum & naturale. Verum quia *P.* Geanor, ejuſve complices, Canones Eccleſiæ, aperte violat, non ſolum exigendo ſententiam contra inauditam partem, ſed etiam appellanti ſecundum Canones Eccleſiæ, Ordiniſque ſtatuta à ſubreptitio decreto Curiæ Romanæ, non deferendo; nec Regulam minus tranſgreditur, procurando, vel ſaltem exequendo Cardinalis Barbarini decretum, quo ipſe *P.* Geanor, ejuſque Succeſſores, temporale Gubernium, ad inſtar Conventualium; ſaltem, vel non *R*eformatorum, data opportunitate, contra puritatem Regulæ S. Franciſci, prætenderent, divinum humanumque jus, poſitivum & naturale prevaricatur, dum quod ſibi fieri non vult, aliis inferre præſumit.

Quam.

Quamobrem ad Majeſtatis Tuæ patrocinium ingemiſcentes confugimus, Veſtramque contra tam apertam violentiam, imploramus protectionem, confidentes in Domino, quod Majeſtas Veſtra, clementiæ Tuæ oculos à nobis, ob *R*eligionum diſcrimina, non avertet. Nam quemadmodum Cæſari, cujuſcumque ſit *R*eligionis, ſibi, quæ ſua ſunt, reddere, Salvator noſter juſſit: Sic etiam ſubditis, cujuſcumque ſint *R*eligionis, *C*æſar eſt ſemper miniſter Dei, *bonis* quidem *in bonum, & malis in malum.* Quis igitur niſi incredulus? non magis ſibi de Tua clementia promitteret, quam D. Paulus de Phariſæorum adjutorio, *qui ſurgentes pugnabant pro illo, dicentes, nihil mali invenimus in homine iſto*; aut de protectione Lyſiæ, Feſti,& Regis Agrippæ, qui omnes, quamvis infideles, Divum Paulum ab inſidiis Judæorum liberatum, innocentem declaraverunt, ac libertate donaſſent, ſi ipſe, Cæſarem non appellaſſet.

Cum itaque præter Majeſtatem veſtram, nullus alius nobis in terris ſit Cæſar, Paulina confidentia motus, veſtra quoque clementia fretus, nec non Eccleſiæ canonibus munitus, ſubditos tuos à præfata violentia, veſtra eos protegente Majeſtate, liberatos iri, confidit.

Sereniſſime Princeps,

Majeſtatis Veſtræ

Humillimus, Obſervantiſſimus, Fideliſſimus

Subditus & Servus,

THOMAS HAROLDUS.

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

MIRARIS, & forſitan ſcandalizaris, (Erudite Lector) de Clericorum ac Religioſorum publica conteſtatione. Te ipſum itaque, quicumque ſis, (modo indifferenter te geras, nec ulli facias, quod tibi fieri nolles) hujus controverſiæ Judicem conſtituo. Quid quæſo faceres in ſimili eventu? Quid, inquam, ſi velut Catholicæ Fidei, quam toto corde & animo profiteris, deſtructor diffameris? & inauditus propterea judiceris? Quid ſi populo, in quo bonum ſemen ſeminaſti, plantaſti, & rigaſti, ut Zizaniorum in medio tritici ſeminator, utpote novæ hereſis inventor, vel antiquæ renovator, & ſuſcitator, odio habearis? Quid denique ſi ad Tribunal Cæſaris, pro quo ſanguinem effunderes, ut traditor, læſæque Majeſtatis reus publiceris? nonne Eccleſiæ? nonne populo? nonne Cæſari ſatisfaceres? Sed quid ſi hæc ſint difficillima, & quaſi impoſſibilia? Quia ſupplices tui libelli, ſeu littteræ ad com-

petentem Judicem, A te remotiſſimum, ad quem conſideratis conſiderandis, tibi impoſſibilis eſt acceſſus, malitioſe ſupprimuntur. Quia populus a prædicatione tua Evangelica pernicioſe ſubtrahitur. Quia Cæſar ejuſve Miniſtri male informantur. Nonne vim vi repelleres, cum moderamine inculpatæ tutelæ? Nonne Eccleſiam invocares? Nonne Cæſarem appellares, nonne populum rogares, ut audiaris, priuſquam condemneris? Hic eſt caſus (Humaniſſime Lector) Patris Coppingeri & ſuorum, cum Patre Geanor & ſuis.

Quod illi per hos, ut Fidei deſtructores diffamentur, præſertim per P. Franciſcum Bruodinum, ſub prætextu cujuſdam Remonſtrantiæ fidelitatis erga Regem in temporalibus, liquido conſtat ex literis ipſiuſmet Bruodini, quibus nos ſequaces Patris Coppingeri, tanquam adhærentes ſcribentibus contra Papam criminatur, ut per hoc Romanis Catholicis nos reddat odioſos, nam ut ipſemet ſcribit, illa ſola cauſa ſufficeret ad nos, noſtroſque deſerendos. Nec hoc tantum nobis imponit, ſed quod ipſi contra poteſtatem capitis Eccleſiæ ſcripſerimus, qui proteſtamur nihil nos contra Papam, nec poteſtatem capitis Eccleſiæ hactenus ſcripſiſſe, nec in poſterum, Deo volente, ſcripturos. Quin potius omnia & ſingula noſtra ſcripta, dicta & facta, determinationi Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſubmittimus. Et ne bonus ille Pater, ſuo, ſuorumque ſolito more, in cauſa præfatæ Remonſtrantiæ,

tiæ, inficietur, ſe mortifera hujuſmodi evomuiſſe venena. Refero fideliter ejus verba, ad me, & ad Patrem Jeremiam Herbertum, proprio charactere, manuque ſignata, *Anno* 1667. ad me quidem 17. Januarii: *Adhærentes*, inquit, *ſcribentibus contra Papam, quæ ſola cauſa ſufficeret ſerenis, ad vos veſtroſque deferendos, quorum infamia ſpargitur orbis.* Et paulo infra declarat, ſe loqui de Scriptis Patris Valeſii (cujus libros, excepta ſola Remonſtrantia, nemo noſtrum adhuc approbavit) his verbis. *Dico Pater, quod vere & ſane amavi te, & adhuc amo, fructumque uberrimum ſperabam, quaſi de arbore bona, niſi viderem Paternitatem veſtram adhæſiſſe Petro.* Item ad Patrem Jeremiam Harbertum, 20 ejuſdem menſis & anni, ipſumque ab unione cum Patre Coppingero, pro conſervando jure Momoniæ, juxta inſtrumentum conſcriptum a Patribus Momoniæ, & præcipue ab ipſomet Bruodino (cui factis ſuis poſtea contradixit) avertens, dat hanc rationem. *Quia ſcribentibus contra poteſt item capitis Eccleſiæ, cui nos ſubditos & ſubjectos eſſe vovemus, adhærere non debemus.* Quamvis hæc opprobria ſint pernicioſa, horribilia & ſufficientia, ut quilibet eis fidem adhibentes, nos tanquam hæreticos, aut ſchiſmaticos, & Eccleſiæ Romanæ manifeſtiſſimos hoſtes, execrentur. His tamen deteriora, vel non ſaltem mitiora contra nos ſcribuntur Romam, ſub nomine Valeſianorum; ut Curia Romana, in nos tanquam in lupos & Mercenarios inci-

tetur.

tetur. De quo fidem faciunt Romanæ literæ 15 April. 1670. *Ægrè*, inquiunt, *ferunt communes miserias Amici, sed maxime quod cæteris omnibus abjurantibus, humiliterque recipiscentibus, vos Patres Coppingerus, Haroldus, & Saulus Valesiani erroris semel atque iterum reprobati, fautores, ut spargunt, resistatis*, &c.

Quod autem hujusmodi rumores divulgentur in populo, ut ei reddamur odiosi, & a nobis injustis mediis, & modis subtrahatur, bene novit & testatur vulgus.

Quod etiam ut traditores, ac læsæ Majestatis rei, traducti fuerimus antequam ullam prorsus querelam Proregi, aut ejus consiliariis contra adversam partem, aut ejus complices ullus nostrum exhibuerit, palam testatur & protestatur Rev^mus ac Illustrissimus Archiepiscopus Dublinensis Petrus Talbotus his verbis, desumptis ex supplici ejus libello exhibito Proregi, ac ejus consiliariis, contra Patrem Petrum Valesium, ac alios Religiosos lingua vulgari, *I confess I am surprized, to see that the charge of* Peter Walsh, *and his seven Fryars, long since accused of High Treason to your Excelleney, and the particulars thereof declared to you in writing, and offered to be proved by legal witnesses, and that long before their petition and charge againſt me, and* Peter Geanor, &c. *was presented to this Honourable Board; I am surprized, I say, to see such men countenanced, and their Charge valued againſt my self.* Et paulo infra declarat quale sit illud crimen

men læſæ Majeſtatis, dicens in eodem ſupplici libello, *That* Peter Walſh *and* Anthony Gernon *are relapſed Traytors, as yet never pardoned, appeared by the firſt his Delivery of the Caſtle of* Kilkenny *to the Nuntio, and the later of his ſurprizing of the Garriſon and Caſtle of* Atherdy. Valeſius & Gernonus ætatem habent, idcirco pro ſeipſis reſpondeant. Ego quidem infœlicis iſtius temporis, commotionum, nunquam fui ſpectator, ſiquidem toto tempore iſtius belli in Gallia vitam, inter fratres meos religioſos, duxi. Hoc unum ab aliis didici, non ſolum Valeſium, prætenſorum hujuſmodi delictorum, fuiſſe conſcium, (ſi vera alleget hic Prælatus, quod Valeſius ſteterit a partibus Nuncii) ſed innumerabilem noſtratium numerum: Quamobrem ſi ob magnum hunc numerum, crimen non maneret inultum, hujus Prælati, odium in Valeſium plures ſuæ nationis ad ſupplicium raperet, quam Cromuelli gladius tyrannice occidit. Sufficere deberet huic Prælato, inhabilitas Catholicorum ad Dignitates & Officia in hoc Regno, bonorum ſpoliato, longingua peregrinatio, exilium in remotiſſimas partes, contemptus in Patria, Religionis ſuppreſſio, & ſanguis innocentium, ut nec directe, nec indirecte, Patriæ dolorem propter unum Valeſium, renovaret, *ac ſi pro nihilo duceret in unum Mardochæum mittere manus, niſi omnem Judæorum perdere Nationem.* Alios, aliis criminibus injuſte, ne plus dicam, onerat hic Prælatus; Coppingerum quidam, eo quod denari-

um S. Petri, ut ſupponit, a ſubditis Regis exegerit, *Coppinger* (inquit) hic Prælatus in ſuo libello, *made as many in* Munſter *for gathering* Peter Walſh *and* James Taaffe *Peter-pence*, *as he had Creatures of his own.* Salva gratia tanti Prælati, ſi vaniloquis & detractoribus, auditum non præbuiſſet, in tanto errore minime verſaretur. Contrarium ſuæ aſſertionis manifeſte demonſtratur, ex teſtimonio Patrum citatorum in *Narratione facti*, *Quæſt.* 7. *Pag.* 22 & 66. qui proteſtantur quod Coppingerus inſtitutus a Patre Taaffe Commiſſarius Viſitator, non ſolum non exegit ullam prorſus pecuniæ ſummam, ſed nec ejus mentionem fecit. Quomodo igitur verificabuntur verba hujus Prælati? Jubetur quidem Epiſcopus *arguere*, *obſecrare*, *increpare*, *ſed in omni patientia & doctrina*, *quia oportet ipſum irreprehenſibilem eſſe*, *& teſtimonium habere bonum ab iis qui foris ſunt*, *ut non in opprobrium incidat*, *& in laqueum Diaboli.* Talia igitur exprobrare commenta, non viro tantum Nobili, aut etiam urbano & veredico, ſed multo magis Epiſcopali Characteri derogat, Si quidem *in omnibus debeat ſeipſum præbere exemplum bonorum operum in integritate*, *in gravitate*, *verbum ſanum*, *irreprehenſibile*, *ut iis qui ex adverſa eſt*, *vereatur*, *nihil habens malum dicere de nobis*, *ut ait Apoſtolus ad Titum* 2. *ver.* 7.

Eſto etiam quod P. Coppingerus exegiſſet hujuſmodi pecuniam, & quod hoc etiam ſit crimen læſæ Maje-

Majeſtatis. Quæro ab hoc Illuſtriſſimo Domino quomodo audet protegere Patrem Geanor & ſuos, qui ſub graviſſimis pœnis hujuſmodi pecuniam a ſubditis Regis non ſemel extorſerunt? Cur Clerum & alios qui ſolvunt hujuſmodi pecuniam, ſive Coppingero, ſive Taaffo, ſive Geanor aut ſuis protegit? cum hi non minus ſint rei exigendo, quam illi ſolvendo. Facientem enim & conſentientem, par pœna conſtringit. Et ut ait Apoſt. ad Rom. 2. *Non ſolum qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus, digni ſunt morte.* Quæro etiam cur pecunia exacta a P. Coppingero in cauſa P. Taaffe vocetur Denarius S. Petri, potius quam pecunia, quam quidam Præſules in hoc Regno feruntur exigere a ſubditis Regis, ac Romam mittere ad Agentem Cleri: Novit bene ni fallor, hic Prælatus, quod procuratio pecuniaria potius deberetur P. Taaffe ſecundum Canones Eccleſiæ Romanæ, ſuppoſita veritate ſuæ Commiſſionis, quam Præſulibus, aut aliis Prælatis orthodoxis viſitantibns, a viſitatis, alio modo quam limitatur in Tridentino, & ſummorum Pontificum conſtitutionibus. Qui poteſt capere capit.

Me etiam criminatur Prælatus noſter his verbis Anglicis. *As for* Thomas Harrold, *he is of ſo violent and ambitious diſpoſition, that he ſaid before credible witneſſes, he muſt have his own will againſt his Adverſaries, or he will revolve this Kingdom*, &c. Iterum ſalva gratia hujus Antiſtitis (quem non ſolum ob Epi-

Epiſcopalem characterem, ſed etiam ob alia motiva plurimum veneror, cui etiam adhuc non faceſſi moleſtiam, nec ſciens aut volens contriſtavi) toto cœlo erat, vel ipſe, vel ejus ſuſurro. Mutat verba & verborum ſenſum. Fateor quod dixi contra adverſam partem, quam eximius hic Prælatus injuſtis mediis & modis defendit. Nempe quod antequam ad perverſum ſuum finem, contra Canones Eccleſiæ Catholicæ: in magnum præjudicium Regis & Regni pervenirent, Regnum perturbarent, illos ſcilicet Regni Clericos (de quibus tunc quæſtio vertebatur) qui fraudulenter atque inhumaniter alios perſequebantur, ob fidelitatem debitam & exhibitam Regi in Temporalibus. Hæc autem fidelitatis & veritatis teſtimonia, erga Regem, Regnum, & Eccleſiæ Catholicæ Canones, omnibus utriuſque ſexus erga Regem & Regnum fidelibus, grata fore non dubito. Et in hoc ego libenter gloriabor. Credidiſſem quod Reverendiſſimus hic Epiſcopus (quem ex D. Paulo ad Titum. 1. *Oportet ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem: non ſuperbum, non iracundum, non vinolentum, non percuſſorem, non turpis lucri cupidum; ſed hoſpitalem, benignum, ſobrium, juſtum, ſanctum, continentem*, &c. Potius ad inſtar D. Pauli omnia ſuſtinere propter electos, quam ut *Saulus divaſtaret Eccleſiam ſpirans minarum & cædis.*

Fateor hunc Prælatum circa finem ſui libelli, ſupplicaſſe Proregi & Conſiliariis ejus, ut non procedatur contra

contra illos, quos accuſat, ſecundum rigorem juſtitiæ. Fecit hanc proteſtationem, ut videretur evitare irregularitatem, ſi pœna ſanguinis a Judice, prætenſis his reis inferatur. Sed non niſi cœcis eam evitare videretur, ſi pœna ſanguinis irrogetur ob falſa hæc crimina, nam in cap. Prælatis de homicidio in 6. in quo Prælatis permittitur conqueri de ſuis malefactoribus abſque ulla pœna Eccleſiaſtica. Quæſtio eſt de veris & non falſis, nec de prætenſis criminibus, & quando juſtitia exigente, hoc eſt, quando reus mereretur mortem, pœna ſanguinis irrogaretur, unde non patrocinatur huic Prælato, in propoſito, non obſtante ſua proteſtatione.

Si attente legas (benevole Lector) conſideres, & ponderes Miniſtrorum Romanæ Curiæ, Superiorumque Ordinis, literas ad partem adverſam, hujuſque reſponſiones ad illos. Item ſupplices horum libellos exhibitos Proregi, & ejus Conſilariis, & a vulgo diſcas, quid inter privatos parietes diſſeminatur, evidenter demonſtrabis, quod pars illa adverſa Curiæ Romanæ, & Anglicanæ Aulæ palam adulatur, & utramque Curiam, ſicut & vulgus decipere artificioſe molitur. Romanæ Curiæ adulatur, ob ſpem ſupprimendi Remonſtrantiam, ut ipſi beneficia & officia tanquam de fide Catholica bene meriti conſequantur, ac alii tanquam in fide ſuſpecti deponantur. Anglicanæ Aulæ, ob contrariam proteſtationem, non ſolum non impugnandi eandem Remonſtrantiam, ſed etiam retractionem ejus, ſponte, & pluries ipſis oblatam recuſandi, &

Remonſtratores præ aliis in principalioribus conventibus inſtituendi Superiores locales, ut Remonſtratorum protectione, & libertate potiantur. Quod clarius ſole patet ex ſupplici eorum libello, Proregi, exhibito, his Anglicis verbis. *We never did enveigh or exclaim againſt any for ſubſcribing to the ſaid Remonſtrance.* Et paulo infra. *Nay, we do proteſt, that we refuſed of* John Everard *his Recantation offered us, both at* Roſs *and in* Dublin, *affirming to the ſaid Father* Everard, *That we had no exception againſt him, or any other, for ſigning the ſaid Remonſtrance.* Utramque etiam Curiam ſicut & vulgus decipere artificioſe molitur. Romanam, promiſſa non ſervando, vel aperte mentiendo. Quia ſi eorum proteſtatio in ſupplici illo libello ſit vera, contraria ſunt facta promiſſis. Anglicanam, facta & promiſſa contra Remonſtrantiam & Remonſtratores aperte negando, atque ſpecioſo prætextu, ne dicam pernicioſo mendacio, occultando, dum quoſdam Religioſos irreprehenſibiles, ob demerita, & non Remonſtrantiam depoſitos, irreverenter blatterant, garriuntque. Vulgus denique, alienando & ſubtrahendo ipſum ab eis tanquam in fide ſuſpectis (ut vulgi applauſum mereantur) quorum complices jactant ſe inſtituiſſe ſuperiores locales. Has ego ſimulationes & fallacias odi, & execror, ac omne os bilingue deteſtor. *Velut eos qui in hypocriſi loquuntur mendacium, & cauteriatam habent ſuam conſcientiam ex D. Paulo ad Timoth.* 4.

4. Ego

AD LECTOREM.

Ego quidem duram D. Pauli increpationem ſimulationi D. Petri, & aliorum, in iſtam ſimulationem adductorum ad Galat. 2. præfero. Quapropter regnare forſitan non valeo, quia diſſimulare Erubeſco. Quocirca partem adverſam moneo, ut ſi quis eorum ſine peccato eſt, primus in nos mittat lapidem, juxta ſalvatoris edictum: qui non prius hoc permiſit ob ſcribarum & Phariſeorum importunitatem, quam eorum peccata in terra, digito tam miraculoſe deſcribebat, ut ſua ſinguli non aliorum peccata legerent & intelligerent, & ideo unus poſt alium confuſibiliter exibant, incipientes a ſenioribus. Non fecit Salvator ſicut Cham, qui nunciavit fratribus ſuis verenda patris eſſe nudata. ob quam cauſam paternam maledictionem conſecutus eſt. Sem vero & Japhet ejus benedictionem, eo quod pallium impoſuerint humeris ſuis, & operierint verenda Patris, & facies ſuas averterint, & Patris virilia non viderint. Si Canaan ſeu Pater ejus Cham ſit maledictus, qui vera nuntiavit, eaque fratribus, multo magis qui falſa imponunt, & alienis anuntiant. Ego autem retro incederem & faciem averterem, & pallium humeris imponerem, potius quam denudarem alios, ut cum ſem & Japhet benedicar, dilater, & in tabernaculis habitem, capis verbum hoc (ſubtilliſſime lector) capis, & ſubſtantiam inutilis hujus litis, judicabis igitur, ut ſpero, quod neque in legem, neque in templum, neque in Cæſarem, quidquam peccavimus. vale.

Veſter Addictiſſimus

THO: HARROLDUS.

ERRATA Corrige.

IN Epiſtola Dedicatoria pag. 1. lin. 8. lege *cui* pro *qui*: & pag. 3. lin. 6. lege *condignum* pro *condignam*. & pag. 5. lin. 1. adde *&*, & lin. ult. lege *ad* pro *ac*. & pag. 6. lin. 5. lege *ſuæ* pro *tuæ*. & lin. ult. lege *Cæſarem non appellaſſet* pro *Cæſarem appellaſſet*. In libro pag. 5. lin. 4. lege *Eugenius* pro *Eugenus*. & lin. 13. lege *Momoniam* pro *Momonia*. & lin. 22. *miſſis* pro *miſſi*. pag. 8. lin. 13. lege *peterant* pro *peterunt*. lin. 25. lege *eorum* pro *ejus*. pag. 26. lin. ult. lege *judicio* pro *judicii*. pag. 3. lin. 9. lege *inedia* pro *invidia*. pag. 31. l. 9. adde *per*. pag. 38. lin. 5. lege *eſſe* pro *eſte*. lin. ult. lege *promitto* pro *permitto*.

Plura alia irrupſerunt Errata, quibus proh dolor quorundam denudatur fatuitas, qui cum ſubſtantiam materiæ, impugnare non valeant, nec approbare audeant, impreſſoris errata tanquam authoris, coram idiotis & ſimplicibus in ſpeculativis & poſitivis, in medium afferunt, ut auditorum animos avertant, ne his libris fidem adhibeant, e oſq; in authorem ſeditioſe concitent, non ſecus ac Pater Joannes Scurlock ſacerdos ſæcularis, qui coram mulieribus (ut audivi à fidei dignis) jactavit ſe primo intuitu legiſſe duo falſa teſtimonia, qnorum primum eſt, quod Pariſiis hic liber dicatur impreſſus. 2. Qnod de licentia Superioris imprimi dicatur. Cum 1. ſcilicet Pariſienſis vel Romanæ impreſſio nihil prorſus conducat ad falſitatem vel veritatem materiæ, ſed ſit omnino impertinens. Et 2. ſit petitio principii Tyronum ſophyſma:

QUÆSTIO.

An in neceſſitate liceat recurrere ad Protectionem Principum Sæcularium, contra violentiam Clericorum?

NOtandum eſt hic, non eſſe idem, recurrere ad aliquem, velut ad ſuum judicem, & recurrere ad ipſum, tanquam ad Protectorem vel defenſorem ſui Juris.

Nam ad judicem ſpectat exercere Judicialem rei indaginem, non vero ad Protectorem ſeu Conſervatorem: ſed tantum defendere à manifeſtis injuriis & violentiis, ut clare colligitur *ex cap. ſtatuimus, de officio & poteſtate Judicis delegati. in 6.* Et gloſſa ibidem ait, quod ſi offenſa manifeſta negetur, quod poteſt Conſervator cognoſcere & recipere probationes, an ſit manifeſta. Licet hoc exemplum in aliquibus forte claudicet, quia in illo capite, quæſtio eſt de Judice Eccleſiaſtico conſervatore: bene tamen demonſtrat quod officium Judicis, diſtinguitur ab officio protectoris ſeu defenſoris, quod multum conducit ad intelligendum ſtatum hujus quæſtionis, in qua non quæritur an liceat recurrere ad Principes Sæculares, tanqnam ad Judices competentes Clericorum, Vel ad ipſos ut tales appellare ſed tanquam ad protectores & defenſores Jurium innocentium, In neceſſitate, *viz.* quando non adeſt judex, nec protector, vel conſervator Eccleſiaſticus; vel ſi adſit, non vult, vel non poteſt judicare, nec protegere, nec defendere à manifaſtis injuriis & violentiis; vel deſes eſt in Judicando, vel protegendo, dum Innocens patitur violentiam à clericis, quæ reparari forſitan aliter non poteſt, quam per talem recurſum. Facile ſolveretur hæc quæſtio in Gallia, ubi eruditiſſimi totius mundi florent Doctores, ſed apud quoſdam ſcrupuloſos hujus Regni, *culicem excolantes, camelum vero deglutientes, non bene ſonat.*

Verum quia hæc Quæſtio movetur ob controverſiam ortam, inter Reverendos patres, Franciſcum Coppinge-

rum, & petrum Geanor, & pater Coppingerus implorare videtur protectionem Regis contra violentiam patris Geanor, & ſuorum. Examinandum eſt in primo Articulo, an injuria ſeu Violentia illata Coppingero ſit manifeſta, in 2. reſolvetur quæſtio, loquendo de principe ſive ejuſdem ſive alterius Religionis.

ARTICULUS primus.

An Injuria ſeu violentia facta P. Coppingero ſit manifeſta?

REſpondeo affirmative, nempe quod ſit notoria & manifeſta:

Primo, Quia ob quorundam malam informationem, inaudita parte, fuit amotus à ſuo officio ante tempus completum, idque ob falſum motivum, *ſcilicet quod ejus inſtitutio per Generalem totius ordinis Minorum, non conducat tranquillitati Provinciæ, neque progreſſui in domino*; cujus contrarium, experientia docet, & demonſtrat Narratio facti, pag. 5. & 21. Et quamvis eſſet verum, prius tamen deberet Coppingerus citari, audiri, & convinci, quam condemnari.

Secundo, Quia Coppingerus rite & canonice appellavit à Cardinali, & ſuo decreto cum omnibus in eo contentis & inde ſecutis, ad ſummum pontificem, juxta ſtatuta ordinis Minorum; & conſequenter pendente iſta appellatione, amoveri non poterat ab officio, quod rite & canonice recepit à Generali totius ordinis per totam Hiberniam nemine prorſus refragante. Et tamen per magnam violentiam patris Geanor & ſuorum ſpoliatus eſt ſuis conventibus & ſubditis per totam Hiberniam, nullo habito reſpectu ad canones Eccleſiæ, prohibentes ſub gravibus pœnis, ne aliquid innovetur pendente appellatione. Videatur Narratio facti, Q. 2. 3. 5.

Tertio, quidam patris Geanor protector ſcripſit, ad quendam Hiberniæ Epiſcopum, quod Coppingerus cum non-

nonnullis ex ſuis ſuſpenderetur, vel ſaltem in exilium mitteretur, ad longinquas partes, niſi patri Geanor morem gereret.

Quarto, Alii cum prætenſa poteſtatis plenitudine ut P. Bonaventura Bruodinus & Ægenus callanus, miſſi à patre Geanor, publicarunt in Momonia poſtpoſito juris ordine, quoſdam patres deferentes Appellationi rite & canonice ad ſummum pontificem interjectæ, contraxiſſe excommunicationem latam, per ordinis protectorem, contra inobedientes patri Geanor, & Guardianis ab ipſo inſtitutis, quod probat Narratio facti. q. 13. Hanç injuſtam, invalidam, & falſam Excommunicationem, indiſcreto quodam zelo, quo Sacrilegii facinus incurritur, cum ſcandalo divulgavit P. Franciſcus Bruodinus, & P. Petrus Geanor prætenſus horum impoſtorum ſuperior Provincialis, de enormi hac impoſtura per meipſum informatus, coram prætenſo ſuo deffinitorio, ac bene inſtructus per narrationem facti, & publicum rumorem, impoſtores non tantum non correxit, nec punivit juxta exigentiam criminis, ſed eos iterum in Momonia cum eadem prætenſa poteſtate remiſit: ac ſi omnia bene feciſſent, *& ſurdos audire & mutos loqui*, quamobrem ſub Dominio hujus prætenſi ſuperioris, licebit per ipſum malefactoribus ab ipſo miſſis impune eradicare, deſtruere, & diſperdere cum maximo ſcandalo Cleri & populi, etiam eorum qui foris ſunt, abſque ulla ſpe ſatisfactionis parti læſæ, clero, populo, vel Cardinali protectori exhibendæ ſaltem, niſi pars læſa per fas aut nefas horum violentiæ, imo & jugo, quod neque nos, neque patres noſtri portare potuimus, ſe ſubmittat, in quo manifeſte protectori imponunt falſum, ut legenti, & intelligenti ejus decretum, in favorem patris Geanor, patet.

Quinto, Quia etiam Dublinii adhærentes patri Geanor, ignoranter, vel malicioſe perſuadebant catholicis, ut evitarent reſiſtentes patri Geanor, tanquam per protectorem excom-

communicatos. Dixi eos hoc feciſſe ignoranter vel malicioſe: quia licet inciderent in excommunicationem à Jure, vel ab homine latam, nemo tamen teneretur eos evitare, antequam nominatim denuntientur evitandi, non per quemlibet, ſed per illum qui excommunicavit, vel de ipſius expreſſa authoritate, præſertim, ſi ſit excommunicatio ab homine, qualis eſſet iſta, Cardinalis protectoris.

Verum quia ſimplices hujus Regni ſtatim ac audiunt aliquem excommunicatum, per fas aut nefas, ipſum evitare ſolent, cum magno ſcandalo, & animarum detrimento, non curantes, nec examinantes an ſit canonice denuntiatus, necne, operæ pretium duxi; his adjungere extravagantem Martini 5. unde clarius ſole patet, neminem teneri ad evitandum excommunicatum, in divinis, aut humanis, antequam denuntietur: à Judice ſpecialiter & expreſſe, ſic incipit extravagans. *Ad evitanda ſcandala, & multa pericula, quæ conſcientiis timoratis contingere poſſent, chriſti fidelibus, tenore præſentium miſericorditer indulgemus, quod nemo deinceps à communione alicujus, Sacramentorum adminiſtaatione, vel receptione, aut aliis quibuſcumque divinis, intus & extra, præ, textu cujuſcumque cenſuræ, aut ſententiæ Eccleſiaſticæ, à Jure, vel ab homine generaliter promulgatæ, teneatur abſtinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Eccleſiaſticum obſervare, niſi ſententia vel cenſura hujuſmodi fuerit illata contra perſonam, Collegium, Univerſitatem, Eccleſiam, communitatem, vel locum certum, à Judice publicata vel denuntiata ſpecialiter & expreſſe, conſtitutionibus Apoſtolicis, & aliis in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcumque; ſalvo, ſi quem pro Sacrilega manus injectione in clericum, in ſententiam latam à canone, adeo notorie conſtiterit incidiſſe; quod factum non poſſit aliqua tergiverſatione cœlari, nec aliquo ſuffragio excuſari: nam à communione illius, licet denuntiatus non fuerit, volumus abſtineri juxta canonicas ſanctiones. Per hoc tamen non intendimus relevare, neque juvare ſic excommunicatos, ſuſpenſos interdictos aut prohibitos.* Hæc Martini extravagans. Huic

Huic extravaganti conformiter addit Tolletus l. 1. cap. 10. num. 2. quod fideles tam Romæ quam alibi, non vitant conversationem cum excommunicatis, etiam Notoriis, nisi nominatim Excommunicati, & denuntiati sint, aut publici percussores clericorum, cujus contrarium superstitiosus quorumdam, zelus apud nos exercet, ac si Romanis legem præscriberent.

Advertit etiam posse aliquem nominatim esse excommunicatum, & non denuntiatum: si enim Judex præcipiat alicui sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ut compareat in Judicio; & hic contumax est, nec comparet, excommunicatus statim est, & nominatim, tamen non denuntiatus; denuntiari autem dicitur, quando declaratur à Judice, eum contraxisse excommunicationem talem. Hanc Declarationem non expectant quidam Nostrates, quorum nonnulli etiam idiotæ & mulierculæ volunt esse competentes Judices excommunicationis, *sic cæci cæcos ducunt.*

Ex quibus patet, quam crasse, proh dolor, errant quidam Nostrates, qui statim ac audiant, ab aliquo forte susurrone, hunc vel illum esse excommunicatum, statim ipsum evitant, sunt hujusmodi, teste sacra Scriptura, qui *zelum Dei habent, sed non secundum scientiam*, quorum ignorantia si vincibilis sit, eos minime excusabit, & multo minus, si sit crassa & affectata.

Longe adhuc crassius, gravius, & detestabilius, errant & peccant qui odiosos hujusmodi Errores in populo disseminant: Hujusmodi zelosi quotidie cum Fanaticis (quos Hæreticos esse non dubitant) amicabiliter communicant, non obstante, quod sint à Jure excommunicati, si sint vere Hæretici, ut probant Casuistæ communiter; Et præsertim *Bonacina de excomm. disp. 2. q. 5. puncto 2. propos. 1. ex cap. ad abolvendum cap. excommunicatus de Hæreticis, & cap quicumque de Hæreticis in sexto.* Et ex bulla cœnæ quæ singulis annis Romæ publicatur. Nec satisfaciunt, dicendo, quod non communicant cum ipsis in divinis, sed tantum in humanis; quia nec in divinis, nec in humanis communicandum est cum excommunicatis, quales sunt vere Hæretici. Ratio cur communicare licet, est, quia tolerati sunt ab Ecclesia:

sed

ſed ſic eſt quilibet excommunicatus, à Jure, vel ab homine (etiam nominatim ut habet Toletus) niſi à Judice publicetur, & denuntietur ſpecialiter & expreſſe. Hos ego, ſaltem quos ignorantia invincibili laborare non crediderim, à Sacrilegio, & ab obligatione reſtituendi, nullatenus excuſarem, ob verba capitis *non in perpetuum* 24. q. 3. his verbis, *Multi Sacerdotum culpam Dei zelo perſequi profitentur, ſed dum indiſcrete agitur Sacrilegii facinus incurrunt, & dum præcipites quaſi ad emendandum ruunt, ipſi quoque multo magis deterius cadunt:*

Notandum eſt etiam cum Gloſſatore citato à Toleto ſupra, num. 4. Excommunicatum ab homine non poſſe denuntiari ab illo, qui non excommunicavit, quoniam cauſa per unum incepta, per alium, abſque cauſa, non poteſt perfici. Hanc doctrinam tranſgreſſi ſunt Bruodinus & Callanus, quia nec ipſi, nec prætenſus eorum ſuperior poterunt denuntiare ſua propria authoritate excommunicatos à Protectore, & multo minus quos Protector non excommunicavit.

Hanc manifeſtam injuriam diutius protraxi exponendam, propter imprudentiam & indiſcretionem eorum qui præveniunt mentem Judicis denuntiando, ſaltem privatim, ſi non publice, quos temerarie judicant excommunicatos, neſcientes quod maledictum fruſtra illatum venit ſuper illum qui miſit illud. Hos denuntiatores, Judicum officium uſurpantes, redargult Apoſtolus ad Rom. 2. dicens, *Inexcuſabilis es O homo omnis qui judicas, in quo enim alterum judicas, teipſum condemnas*; cap. 14. *Tu quis es qui judicas alienum ſervum, Domino ſuo ſtat aut cadit:*

Sexto P. Coppingero Sigilla ſui Officii, in lectulo ſuo, de nocte quieſcenti, violenter ablata ſunt.

Septimo, priuſquam hæc controverſia ad ſæcularium Judicum notitiam perveniſſet, P. Franciſcus Bruodinus complex patris Geanor, auxilium & favorem præbitit ſuo famulo trahenti Religioſum malitioſe ad Judicium Tribunalis ſæcularis, alterius Religionis quod inter alia gravamina Coppingerum compulſit ad implorandum Principis auxilium.

Octavo, Alii Patris Geanor complices implorarunt protectionem & favorem Cleri, & populi, contra Coppingerum, nondum juridice citatum, nec auditum, nec convictum.

Nono, Præſules Hiberniæ ſtatuerunt quod P. Coppingero adhærentibus, nullus confiteatur, aut ejus ſacrum audiat, aut eleemoſynam petentibus elargiatur, ſaltem niſi P. Geanor velut ſuperiorem agnoſcant

Hæc omnia ita ſunt manifeſta, & notoria, ut non indigeant probatione. Taceo quatuor Articulos quos adverſa pars imponit Curiæ Romanæ, ut habetur in Narratione facti,

q. 21.

q. 21. Quibus additur, quod dixit Pater Geanor, nimirum, si ullus à Coppingero mitteretur in Hiſpaniam, ad Capitulum generale, vinctus duceretur Romam.

Decimo, Quærelæ Patris Coppingeri non exhibentur Romæ, ſummo Pontifici, ad quem ob adverſæ partis malas informationes, ne dicam calumnias, & forte inſidias (ſi fas eſt multis qui multa loquuntur, credere) nullus Coppingero patet aditus.

Quæritur igitur in Quæſtione, an in tali neceſſitate liceat ipſi implorare auxilium Principis ut Conſervatoris Juris innocentium, & Canonum Eccleſiæ.

ARTICULUS ſecundus.

In quo Reſolvitur Quæſtio.

COnclusio eſt affirmativa, nimirum quod in neceſſitate, quando ſcilicet, non adeſt Judex Eccleſiaſticus, qui judicaret, vel protegeret à violentia Clericorum, licet recurrere ad protectionem Principis Catholici. Non dubito, hanc concluſionem eſſe communem apud Doctores Galliæ, ut docet quotidiana experientia, qua conſtat ſine magna neceſſitate, Eccleſiaſticos, ſe invicem provocare coram Rege & Parlamento.

Probatur Concluſio primo, ex illa Regula Juris *quod non eſt licitum in lege, neceſſitas facit licitum, extra de Reg. Juris, regula quarta.* Ergo quamvis abſque neceſſitate, id non liceret, licebit tamen cogente neceſſitate, quæ legem non habet.

Probatur ſecundo, duplici exemplo præfatæ Regulæ adjuncto, nam in veteri lege erat divinum præceptum cuſtodiendi Sabbathum, Machabei tamen pugnabant in Sabbatho, propter neceſſitatem ſe defendendi: cum enim inimici

mici eorum non curarent de obſervantia Sabbathi, ex propoſito Judæos in die Sabbathi provocabant, credentes quod præ ſcrupulo potius Judæi paterentur mortem, quam violarent diem Sabbathi, ſe defendendo, ſicut ab initio multi paſſi ſunt: poſtea vero conſiderantes, quod neceſſitas non ſubjacet legi, ſe defendebant in die Sabbathi, & ſtrenue pugnabant abſque ſcrupulo.

Aliud exemplum eſt de Jejunio, quia licet ſit præceptum Eccleſiaſticum obſervandi Jejunium, tamen ſi ægrotus frangeret Jejunium, reus voti non efficitur, cujus ratio aſſignatur ibi quia neceſſitas non ſubjacet legi. *Ex cap. concilium de obſervantia Jejuniorum. Et cap. quanto de conſuet. Et i. d. ſicut*, ubi dicitur quod ſatius eſt miſſam non cantare, aut non audire quam in his locis, ubi fieri non oportet (id eſt in locis prophanis ſeu non conſecratis) *niſi pro ſumma neceſſitate contingat.* Cujus ratio aſſignatur ibi, *quia neceſſitas legem non habet.* Ex quibus & ex multis Canonibus citatis apud Gloſſam in præfatam regulam, patet neceſſitatem excuſare, & licitum facere, quod in lege non eſt licitum, ſecluſa neceſſitate.

Probatur tertio, *Ex cap. filiis* 16. *q.* 7. in quo jubentur Patroni, ſi Sacerdotem aliquid ex collatis rebus Eccleſiæ, de fraudare præviderint: aut honeſta conventione compeſcere, aut Epiſcopo vel Judici denunciare, quod ſi Epiſcopus talia gerere tentet, Metropolitano inſinuare; aut ſi Metropolitanus talia gerat, Regis auribus intimare. Nec hoc tantum permittitur Patronis, ſed etiam mandatur, *ut hæc Regis auribus intimare non differant.* Quibus verbis nihil clarius.

Si autem quæras, cur non differant, hæc Regis auribus contra Metropolitanum intimare, Reſpondet Gloſſa in illud caput, *Verbo Regis, ut eum corrigat, cum per Eccleſiaſticum Judicem non poteſt: vel etiam cum Judex Eccleſiaſticus deſes eſt, alias non poteſt adiri Judex ſecularis.* Primam

partem

partem reſponſionis, nempe ut Rex corrigat Metropolitanum, Probat Gloſſa. *Ex capite petimus i. q. i.* Ex quo refert Gloſſa de quodam Epiſcopo qui multoties monitus, nolebat reddere plebem, quam invaſerat, & ideo quidam Epiſcopi petebant in concilio Carthag. ut per Rectorem (id eſt per Gubernatorem) Provinciæ expellatur. Et Reſpondit *Aurelius Epiſcopus quod nulla ei fit injuria ſi per Sæcularem poteſtatem expellatur*, ex quo admonitus non deſiſtit. *Poſtea Honoratus & Urbanus Epiſcopi dixerunt hoc omnibus placere:* Ratio hujus aſſignatur in illo capite, *quia neceſſitas ipſa cogebat.*

Eandem etiam Reſponſionis partem probat *ex capite nec licuit d.* 17. in quo Gregorius papa decrevit & declaravit quoſdam Epiſcopos contumaces & obſtinatos, *ſecundum Canones per Sæculares oportere opprimi poteſtates.* Quod ut intelligatur refero verba Gloſſe in illud caput, nec licuit, celebrato concilio quinto apud Conſtantinopolim, Epiſcopi Venetiæ, Hiſtriæ, & Liguriæ, volentes recipere ſtatuta illius concilii, convenerunt ad examinandum, an illa ſtatuta eſſent bona vel mala: contra quos invehitur Gregorius dicens: quod ſi aliqua dubitatio emerſerit de ſtatutis in eodem concilio, mittere debebant ad ſedem Apoſtolicam: ſi vero fuerint contumaces ab Eccleſia ſunt coercendi, & ſi per Eccleſiam non poſſunt: *per Sæcularem debent opprimi poteſtatem.* Unde Gloſſa circa finem iſtius capitis *nec licuit*, aſſerit *quod ubicunque deficit Eccleſiaſtica poteſtas, ſemper requiritur ad brachium Sæculare*, citans 11. *q.* 1. *petimus* 33. *q.* 5. *de liguribus.* Et caput Adminiſtratores ex quo probat Gloſſa, quod Principes Sæculi qui conſtituti ſunt ad malorum audaciam refrænendam, & tuitionem Eccleſiarum, viduarum, pupillorum, &c. quoties ſuper hoc admoniti fuerint, ab Eccleſiaſticis viris, diligenter audire debent, & quæ corrigenda ſunt corrigere: ſi autem poſt ſecundam & tertiam admonitionem fuerint negligentes, uſ-

que ad condignam ſatisfactionem, debent à communione repelli. Et in verbo *privatos*, videtur ipſi, quod ipſo Jure ſit excommunicatus princeps qui non facit juſtitiam Clerico. Aliorum ſit judicium, an hoc bene deducatur ex illo capite Adminiſtratores, tantus quidem rigor non requiritur ad veritatem concluſionis aſſertæ, ſicut nec recurſus ad principem tanquam ad judicem ut ſæpe dictum eſt, unde plus aſſerit Gloſſa quam noſtra concluſio ſupponit. Sed quidquid ſit, hæc ſunt verba Joannis 8. in illo capite 23 q. *Adminiſtratores plane Sæcularium dignitatum, qui ad Eccleſiarum tuitionem, pupillorum ac viduarum protectionem, rapacium unque refrænationem conſtituti eſſe proculdubio debent, quoties ab Epiſcopis, & Eccleſiaſticis viris, conventi fuerint, eorum quærimonias attentius audiant: Et ſecundum quod neceſſitas expetierit, abſque negligentia examinent, & diligenti ſtudio corrigant. Quod ſi Dei timorem præ occulis non habentes, negligere poſt ſecundam & tertiam admonitionem inventi fuerint, omni ſe noverint communione, uſque ad condignam ſatisfactionem, privatos.*

Probatur 4. d. 10. ſi in adjutorium, & ſunt verba D. Auguſtini contra Petilianum, quibus probatur, quod leges Imperatorum in Adjutorium Eccleſiæ ſunt aſſumendæ; *ſi in Adjutorium veſtrum* (inquit D. Aug.) *Terreni Imperii leges aſſummendas putatis, non reprehendimus. Nam fecit hoc Paulus, cum adverſus injurioſos, Romanum civem ſe eſſe teſtatus eſt.* Notanda ſunt verba Gloſſæ in illud caput, dicit enim quod Petilianus defendebat ſe legibus contra Auguſtinum, & alios Catholicos. Et Auguſtinus de hoc ipſum non reprehendit, quoniam & Paulus hoc fecit, cum teſtatus eſt ſe civem eſſe Romanum. ſi exemplo divi Pauli, & teſtimonio divi Auguſtini, leges Imperatorum licite aſſumuntur in defenſionem Eccleſiæ, quare non liceret Coppingero aſſumere leges ſereniſſimi ſui principis in defenſionem Canonum Eccleſiæ, & ſtatutorum ſui ordinis, contra expreſſos eorum

prævari-

prævaricatores, quales ſunt Pater Geanor, & ſequaces ejus.

Objicies primo, Dianam 4. p. tract. 1 reſol. 80. aſſerentem, Falſiſſimam eſſe opinionem eorum, qui tenent, quod Judex laicus poteſt punire Clericum defectu Juſtitiæ Eccleſiaſticæ. Quod ipſe probat ex *cap. qualiter & quando de Judiciis*; & quod caput *filiis* 16. *q.* 7. fuit correctum per caput *qualiter & quando*. Reſpondeo totum non eſſe contra me, quia non diſputo hic, an liceat recurrere ad Principem tanquam ad Judicem, (ad quem ſpectat punire delinquentes,) ſed tanquam ad Protectorem & Conſervatorem Juris Innocentium, quos à manifeſtis injuriis defendere debet. Nec ab hac doctrina diſcrepare videtur Diana, nec Doctores quos pro ſe citat, & multo minus quos contra ſe allegat. Licet enim non conveniant in reſolutione quæſtionis propoſitæ à Diana, nempe an Judex laicus poſſit punire Clericum defectu Juſtitiæ Eccleſiaſticæ. Non videntur tamen diſſentire in reſolutione noſtræ quæſtionis, quia non quæritur in titulo quæſtionis, An Judex laicus poſſit punire Clericum delinquentem. Sed an in neceſſitate liceat contra violentiam Clerici recurrere ad protectionem Principis. Et quod id liceat, patet ex ipſomet Diana, ſupra citato, ubi reſpondendo ad caput filiis, dicit, *in caſu ſpeciali poſſe adire Regem, non tanquam Judicem, ſed tanquam Protectorem & Defenſorem, ut roget & moneat Prælatum, & interim bona tueatur, donec Pontifex conſului poſſet.* Reſpondeo ſecundo, quod caput filiis non aliter fuit correctum, per caput qualiter & quando, quam ut dictum eſt. Nec ulla prorſus eſt mentio *de capite filiis, in capite qualiter & quando*. Nec ulla clauſula revocatoria ejus ſub expreſſis verbis, ut legenti patet utrumque caput. Imo arguit Gloſſa in illud caput *qualiter & quando*, quod defectu Juſtitiæ Eccleſiaſticæ, Clerici ad Judicium ſæculare trahi poſſunt. Plu-

Plures etiam Doctores citat Diana contra se ipsum; quibus non minus teneor adhibere fidem, in re obscura, dubia, vel probabili, quam Dianæ: si Dianæ fundamenta & rationes non magis urgeant.

Objicies secundo in illo *cap. qualiter & quando*, prohibetur, ne defectu Justitiæ, Clerici trahantur ad judicium Sæculare. Respondeo id esse verum, cessante necessitate, & quando justitiæ defectus aliter potest suppleri, sine magno innocentium præjudicio. Unde in illo capite præcipitur Prælatis, ut Laicis de Clericis conquerentibus, faciant justitiam, quam si non fecerint, arguit Glossa in illud caput quod trahi possunt ad judicium Sæculare. Hic tamen ut dixi, non est meus casus, quia loquor tantum in præsentiarum, de recursu ad protectionem principis in necessitate, etiam aliter incvitabili, non ad ipsius judicium in re forte spirituali.

Objicies tertio, in Conc. Milevitanens. & Conc. Carthag. ut habetur capite, *si diligenti de foro competenti, xi. q. 1. inolita, & placuit*, decretum est, quod Clerici Clericos relicto suo Pontifice ad Judicia publica non protrahunt, alioquin causam perdant. Respondeo negando suppositum, scilicet, quod relinquamus nostrum Pontificem, per recursum ad protectionem principis; sed potius adversam partem inducere nitimur, ut Pontificiis Canonibus (quibus aliquid pendente appellatione innovari prohibetur) morem gerat. Hic advertendum est omnes, & Singulas istas Objectiones, multo magis militare contra adversam partem, nempe patrem Geanor & suos delegatos, quia non Cleri tantum Sæcularis, sed etiam populi (cui Deus adhuc gladium non dedit), imploraverunt favorem, & protectionem, contra alios Clericos, nulla eos cogente necessitate, cum secundum Canones Ecclesiæ, deferre teneantur appellationi ad summum Pontificem interpositæ.

Objicies

Objicies quarto, Varios Canones apud Gratianum 11 q 1. quibus probatur, quod Clerici non ſunt conveniendi coram judice Laico, ſed Eccleſiaſtico. Et Gloſſa in fine primi capitis, ejuſdem cauſæ, & quæſtionis, aſſerit, quod propter negligentiam Judicis Eccleſiaſtici, Clericus non poteſt conveniri coram Judice Laico. Reſpondeo omnes illos canones, non adverſari noſtræ concluſioni, quia non aſſerit recurrendum eſſe ad principem, tanquam ad judicem ſed tanquam ad protectorem, vel defenſorem, qui inter ſe multum differunt, deinde canones iſti intelliguntur in caſu, quo Judex Eccleſiaſticus poſſet haberi, & non in caſu quaſi impoſſibili, ob neceſſitatem cogentem. Ad Gloſſam reſpondetur eodem modo, vel quod loquitur in caſu, quo negligentia Judicis Eccleſiaſtici non vergeret in damnum irreparabile ullius innocentis. Quod ſi nullum damnum inferatur, per negligentiam Judicis Eccleſiaſtici, vel non tam magnum, quin facile reparari poſſit, ſupplenda eſſet negligentia Prælati per patientiam, potius quam Clericus ad Judicem Laicum protrahendus. Hoc etiam modo reconciliantur variæ Gloſſæ, & Doctorum Authoritates: cum enim dicant recurrendum eſſe ad Judicem Eccleſiaſticum, ſupponunt quod ſit talis Judex, qui poſſit prævenire & impedire damnum innocentium, alioquin fruſtra docerent recurrendum eſſe ad Judicem Eccleſiaſticum, ubi nullus eſſet talis: cum etiam dicant præſertim Gloſſatores, recurrendum eſſe ad Judicem Laicum, deficiente Judice Eccleſiaſtico, hoc intelligitur, ne defectu Judicis Eccleſiaſtici, damnum alicujus momenti, eveniret innocenti.

Objicies quinto, Ex ſtatutis ordinis minorum, quicumque ſub prætextu injuſtitiæ ſibi factæ, ad Advocates, Procuratores, Judices Sæculares, vel quomodocumque ad Sæculare Tribunal recurrerit, pro concilio, aut favoris pretendi gratia, debet puniri. Qui etiam ad locorum Ordinarios, iiſdem de cauſis recurſum habuerit, debet puniri: ſimiliter qui ad

Tribu-

Tribunalia Sæcularia appellare, & ad ea temere confugere auſi fuerint, graviter puniuntur ut fuſius habetur in iiſdem ſtatutis cap. 7. parag. 3. Item Recurrentes ad Sæculares ad impetrandos favores, pro obeundis officiis, vel pro locatione alicubi, vel remotione inde, ſunt ipſo facto privati voce activa & paſſiva, & omnibus officiis ordinis, etiamſi ipſi fratres negaverint, & ſæculares affirmaverint non eſſe ſe ab iiſdem fratribus ſollicitatos. Reſpondeo quod hac Statutorum authoritate, premuntur illi, qui abſque ulla prorſus neceſſitate, exhibuerunt ſuum ſubreptitium decretum Clero & populo, præſerptim in Momonia, eorum favorem & protectionem pro locatione quorundam, & remotione aliorum poſtulando. Hoc inquam, abſque ulla neceſſitate fecerunt, imo & contra Canones, quia ſecundum Canones Eccleſiæ, deferre humiliter & devote tenentur appellationi ad ſummum Pontificem interpoſitæ. Hac etiam authoritate, premitur ille Bruodinus, qui ſuam præſentationem, per quosdam Limiricences, ac ſi jus Patronatus haberent in noſtris electionibus, vel procuravit, vel procurari permiſit, ſciens & volens. Hac denique authoritate premuntur illi (ſi inter Minores & non Majores numerentur) qui ad Proregem detulerunt quærimonias contra Coppingerum, & alios ob cauſam Patris Taaffe, falſum ipſis imponendo, ac ſi denarium divi Petri à ſubditis Regis exegiſſent, ut per hoc paulatim & inſenſibiliter pretenſum Papæ jus, in hæc regna introducere machinarentur. Hac denique authoritate premitur ille Bruodinus cum aliis, qui famulo ſuo, Religioſum, ad Tribunalia ſæcularia trahenti auxilium & favorem præſtitit, quod Limirici factum fuit. At Coppingerus facili negotio, his & centum mille authoritatibus, paucis verbis ſatisfacit, Nempe in caſu ſtatutorum, poſſibilem, imo & facilem eſſe recurſum ad Judicem Eccleſiaſticum, quia nemo ad impoſſibile tenetur. At ſolus ſummus Pontifex eſt Judex appellationis Patris Coppingeri, cui ſe

ac

ac jus ſuum humiliter & devote ſubmiſit. Cujus propterea definitiva ſententia, eadem humilitate ac obedientia erat expectanda, & nihil interim temere innovandum ſecundum Canones Eccleſiæ, quos ſi adverſa pars, in hac lite obſervare voluiſſet, ad nullum alium recurriſſet Coppingerus, nec ullum, per partem adverſam, eveniſſet ſcandalum. Verum quia per magnam vim, & plurima ſcandala, ipſum ſua legitima juriſdictione privavit, nec abſque evidenti miraculo, in tam brevi temporis intervallo ſupplicare poterat, cum tanta efficacia ſummo Pontifici, per adverſam partem male informato, neceſſitas, quæ legem non habet, cum ipſo diſpenſavit, ut Clementiſſimi Principis protectionem imploraret.

Concluſio ſecunda, licitum eſt Catholicis, etiam Clericis, in neceſſitate recurrere ad protectionem Principis, alterius Religionis vel communionis, ad reprimendam violentiam clericorum. Patet hæc concluſio duplici exemplo quorundam ſacerdotum ſæculorum Diœceſis Dublinenſis qui tempore Patris Taaffe, quendam ſacerdotem ſæcularem ad Tribunal ſæculare coram Magiſtratu civitatis alterius Religionis traxerunt, eo quod invalidam ſuam excommunicationem palàm retractare noluiſſet, aut mulctam taxatam, ſi non relcamaſſet, ſolvere.

Aliud exemplum eſt alterius ſacerdotis ejuſdem diœceſis, qui mandatum obtinuit a quodam Magiſtratu Dublinenſi, alterius Religionis, & communionis, ad capiendum, non tantum ſacerdotem, ſed & Religioſos deducendos coram Magiſtratibus ſeu officialibus Regis, ob eandem vel ſimilem excommunicationem. fateor hæc exempla non convincere hanc concluſionem, quia mihi incertum eſt, an neceſſitate cogente id facerint. Quidquid ſit, Coppingerus cum tanto rigore non procedet; unde efficaciora deducenda ſunt argumenta, pro concluſionis probatione ideo.

Probatur

Probatur igitur ſecundo Concluſio exemplo divi Athanaſii, qui ut refert Cornelius à lapide in Acta Apoſtolorum 25. v. 10. oppreſſus ab Arianis, imploravit auxilium Conſtantii Imperatoris Arriani: in Apologia enim ad Conſtantium ſic ait, *ſi apud alios accuſatus eſſem, ad tuam Majeſtatem provocarem, ſicut Apoſtolus dixit, Cæſarem appello, & ceſſatum eſt ab inſidiis contra eum.*

Probatur tertio, ex ipſius divi Pauli, exemplo, qui implorare non dubitavit auxilium Phariſeorum, alterius Religionis ab ipſo, contra Saduceos, act. 2. 3. qui propterea *ſurgentes pugnabant pro Paulo dicentes, nihil mali invenimus in homine iſto.*

Probatur quarto, alio exemplo divi Pauli, qui appellavit ad Cæſarem alterius Religionis ab ipſo, vel potius nullius Religionis. Cornelius à lapide in acta Apoſtol. 25. ver. 10. Exponens locum illum, ait, quod proprius Pauli Judex & Superior erat ſanctus Petrus, ſed quia eum non agnoſcebant Judæi & Romani Gentiles, hinc coram Romanis præſidibus, accuſatus à Judeis Paulus, coram eis cauſam dicere debuit; ſed proprius Judex in cauſa appellationis Patris Coppingerii eſt Succeſſor divi Petri, ſcilicet Romanus Pontifex, quem adverſa pars, ut talem in hac controverſia, non videtur ſolum agnoſcere, cum appellationi ad ipſum interpoſitæ deferre tenuat, & inſuper patibulum & exilium in longinquas partes, eorum protectores minantur, ob exactionem pecuniarum prætenſa authoritate Pontificia à Subditis Regis, ut falſo ſupponitur. Unde neceſſitate coactus recurrere debuit Coppingerus ad protectionem Regis, velut alter Mardocheus, ut evitaret patibulum ab Aman ipſi paratum. Aliter reſpondit Cornelius à lapide ſupra, quod divus Paulus vim paſſus à Judæis, licite imploravit auxilium Cæſaris, cum aliud Tribunal & remedium, ſe vitamque ſuam tuendi non haberet, ut docet Aug. Epiſt. 50. Sed Coppingerus magnam vim paſſus, uſque ad terrores & commina-

tiones

tiones patibuli aliud remedium ſe, ſuum honorem, ſuam legitimam juriſdictionem, vitamq; ſuam tuendi à patibulo Aman, non habuit, cum appellationi ad vicarium Chriſti in terris deferre contemnant, ergo ad inſtar Divi Pauli poterat Coppingerus implorare auxilium Cæſaris.

Alii minus verſati in ſcriptura, Canonibus, & Doctoribus Eccleſiæ, ut evitent vim & efficaciam hujus exempli Divi Pauli, Reſpondent quod Divus Paulus non appellavit ad Cæſarem, contra clericos, ſed laicos, quos ad Tribunal Cæſaris, per ſuam appellationem traxit. Verum neque laicos, in prima inſtantia, ad Tribunalia ſecularia trahere deberet ſecundum Evangelium, præcepit enim ſaluator Mat. 18. v. 68. dicens, *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum, ſi te non audierit, ad hibe tecum unum vel duos*, &c. *quod ſi non audierit eos, die Eccleſiæ.* Quare igitur Divus Paulus, non eſt conquæſtus de iſtis laicis, quos vocat fratres & Patres actor. 22. Divo Petro, vel Eccleſiæ, certe, quia non curarent de Divo Petro, nec de ejus Eccleſia: & ſi curaſſent, aut appellationi ad Petrum, vel Eccleſiam interpoſitæ detuliſſent, non appellaſſet Divus Paulus Cæſarem. Sed in noſtro propoſito, pars adverſa non videtur curare de ſummo Pontifice, nec de Eccleſia, dum appellationi ad ipſum interjectæ non defert, & non deferendo, ſed ad ſuum libitum, omnia innovando, canones Eccleſiæ aperte violat.

Deinde ſi neceſſitas diſpenſabat cum Divo Paulo ut traheret laicos ad Tribunalia ſecularia non prius obſervato predicto mandato Chriſti de correctione fraterna. Mat. 18. v. 18. quare eadem vel ſimilis neceſſitas, non diſpenſaret cum ipſo, ut traheret Clericos ad eadem Tribunalia? Alioquin, certe ſi Clerici impune violarent canones Eccleſiæ, & jus naturæ, eorum immunitas, vel exemptio potius vergeret in deſtructionem & detrimentum, quam utilitatem totius Eccleſiæ. Cum nullus adeſſet Eccleſiaſticus Judex

qui eos puniret, nec recurrere liceret ad protectionem Principum, & quilibet incorrigibilis abutens inimunitate Ecclesiastica gloriaretur in istis verbis, Sic volo, sic jubeo, stet pro ratione voluntas, non secus, *ac filii Helii, filii Belial, nescientes Dominum, neque officium Sacerdotum ad populum*, 1 *Reg.* 2. 12.

Probatur quinto, quia de jure naturæ est, violentiæ per vim repulsio, i. d. jus naturale & Glossa ibi dicit, quod cuilibet id licet, & d. 64. *quia per*, dicit quod resistere potest quis pro jure suo, ad quod probandum affert sequentem versum.

Cuilibet est homini, licitum sua jura tueri,
Quodque resisto tibi, non potes inde queri.

De sententia excommunicationis *cap. si vero*, *dicitur quod vim vi expellere omnes leges, omniaque jura permittunt.* Sed pars adversa magnam vim intulit, & fert patri Goppingero, & suis, per totam Provinciam, ut visum est, ergo licet ipsi vim illam expellere; imo se defendendo, potuit in Clericum vel Monachum, absque incursione ullius censuræ, manus injicere violentas. cap. ex tenore. De sententia excum.

Si quis dicat de lege positiva Ecclesiæ id prohiberi. Dico hoc gratis, & absque ullo fundamento allegari in necessitate. Præterea lex Ecclesiastica, est lex positiva humana, & jus se defendendi, naturale, cuilibet à natura inditum, & à recta ratione proveniens, sed jus naturale, non abrogatur per legem positivam, saltem humanam, ergo jus se defendendi saltem cum moderamine inculpatæ tutelæ, non potest abrogari per legem Ecclesiasticam: neque Ecclesia id unquam vetuit, unde cum Appellatio sit species quædam defensionis, ex nostris statutis cap. 6. pag. 3. & defensio quæ est (de jure naturæ) nemini sit deneganda, ex iisdem

statutis,

ſtatutis, pater Coppingerus rite & canonice appellans, poteſt pendente iſtâ appellatione ſe defendere, vim vi repellendo cum moderamine inculpatæ tutelæ.

Objicie primo cap. ſignificaſti 2. de homicidio, dicitur quod quamvis vim vi repellere, omnes leges, omniaque jura permittant, id tamen debet fieri cum moderamine inculpatæ tutelæ, & Gloſſa in illud caput tria requirit in tali repulſione. Primo, Ut fiat in incontinenti, & non ex intervallo. Secundo, Ut fiat cauſa defenſionis, & non ulciſcendi. Tertio, Cum moderamine inculpatæ tutelæ. Quæ conditiones non videntur concurrere in caſu patris Coppingeri cum patre Geanor. Reſpondeo quod optime concurrunt, diſcurrendo per omnes particulas, nam illud incontinens, nunc eſt momentaneum, & quaſi inſtantaneum; nunc vero temporaneum, & ſucceſſivum, & aliquando per intervalla, interruptum, nam eſt duratio vi inferendæ, vel illatæ, coexiſtens: unde ſi vis toto tempore vitæ duret, durabit etiam illud incontinens in quo poteſt expelli, ut patet in bello defenſivo. Vis vero illata patri Coppingero, & ſuis per patrem Geanor, & ſuos incepit anno illapſo, & adhuc durat, & durabit, niſi expellatur. Quod vero hæc repulſio fiat animo ſe defendendi, & non ulciſcendi, ab externo colligitur, (Eccleſia enim non judicat de internis, niſi in melio. rem partem,) nam Coppingerus libenter expectaret ſententiam definitivam Judicis *ad quem* ſuæ appellationis. Quod etiam hoc fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ, patet; nam *Gloſſa in caput ſignificaſti*, 2, ait, quod moderamen eſt, *cum illud tantum fit, quo omiſſo, violentia repelli non poteſt*; ſed abſque recurſu ad protectionem Principis, violentia illata Coppingero, & ſuis, per patrem Geanor, & ſuos, & quotidie inferenda per eoſdem repelli non poteſt, ergo frater Coppingerus recurrens ad protectionem Principis, vim vi repellit, cum moderamine inculpatæ tutelæ.

Objicies ſecundo 2 q. 6. cap. Catholicus, qui ſuam cauſam,

ſive juſtam, ſive injuſtam ad judicium alterius fidei Judicis, provocat, excommunicari debet. Reſpondeo, quod illud caput non magis obliget Clericos, quam omnes Catholicos; quos tamen ad judicium alterius fidei Judicis, haud dubium eſt provocare, non ſolum in his tribus regnis, ſed etiam in pluribus aliis locis ultra marinis. Unde Gloſſa intelligit illud caput, *Niſi Catholicus ſit ſub Rege infideli.* 23. *q.* 1. *paratus, &* 10. *d. cap. ſi in adjutorium. &* 11. *q.* 3. *Julianus.* Deinde illud caput intelligitur ſecluſa neceſſitate. Eodem modo reſponderi poteſt ad authoritatem D. Pauli, 1 Corinth. 6. ubi reprehendit illos fideles, qui cauſam dicebant apud infideles, & potius videtur reprehendere laicos quam clericos, dicens, *Sæcularia judicia ſi habueritis, contemptibiles qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad judicandum,* quo non obſtante, ipſemet neceſſitate preſſus, appellavit ad Cæſarem: ſic etiam alii catholoci ad ſuum Cæſarem recurrunt, cujuſcumque ſit Religionis.

Objicies tertio, Sereniſſimus noſter Princeps non magis tenetur curare de noſtra lege, quam religione, ergo quamdiu eſt alterius Religionis, non debemus recurrere ad ipſius protectionem. Reſpondeo negando conſequentiam: nam quilibet Princeps debet ſaltem curare de pace & concordia conſervanda inter ſuos ſubditos, eoſque protegere ab omni violentia. Præterea magis debemus præſumere de clementia Sereniſſimi noſtri Principis, quam D. Paulus de protectione Phariſæorum, qui tamen *ſurgentes pugnabant pro illo, dicentes, Nihil mali invenimus in homine iſto*; aut de favore Feſti Judicis, qui declaravit, quod accuſatores D. Pauli, *nullam cauſam adferebant,* de qua ſuſpicaretur malum, aut de clementia Regis Agrippæ, qui Feſto Judici dixit, quod dimitti poterat Paulus, ſi non appellâſſet Cæſarem, Act. 26. 32.

Objicies quarto, Judex alterius communionis vel religionis, non eſt competens Judex Canonum Eccleſiæ Romanæ,

ergo

ergo nullus Catholicus ad ipſum deber recurrere. Reſpondeo negando conſequentiam; quia Feſtus & Rex Agrippa minus erant competentes Judices quæſtionum D. Pauli & Judæorum de lege & prophetis, unde Feſtus vocat eas quæſtiones de ſuperſtitione actor. 25. Et tamen cum Paulus multa de lege & prophetis, de ſua converſione, & aliis ad legem Evangelicam ſpectantibus, diſputaſſet, cap. 24. & 26. Feſtus declatavit ipſum innocentem, dicens, *Nullam cauſam deferebant, de quibus ego ſuſpicabar malum. Quæſtiones vero quaſdam de ſua ſuperſtitione habebant adverſus eum, & de quodam Jeſu defuncto, quem affirmabat Paulus vivere.* Sic etiam Lyſeas ante ipſum liberavit Paulum, & innocentem declaravit, *Quem* (inquit) *inveni accuſari de quæſtionibus legis ipſorum; nihil vero dignum morte aut vinculis habentem crimen*, Actor. 23. Unde quilibet Princeps cujuſcumque ſit Religionis, poteſt & debet liberare Clericum à violentia & injuria aliorum, quemadmodum Phariſæi pugnabant pro D. Paulo Actor. 23. v. 9. Lyſeas, Feſtus, & Agrippa, omnes infideles, declarabant Paulum innocentem, & dimiſiſſent, ſi non appellaſſet Cæſarem, cap. 26. 34. & 28. 18 nec obſtare debet in hoc diverſitas Religionum, quia D. Paulus coram omnibus Phariſæis, Feſto, Agrippæ, & aliis ſuam faſſus eſt, dicens, *Confiteor autem hoc tibi quod ſecundam ſectam, quam dicunt Hæreſim, ſic deſervio Patri Deo meo, credens omnibus quæ in lege & Prophetis ſcripta ſunt.* Deinde Canones Eccleſiæ Romanæ in cauſa appellationis, obſervantur in Eccleſia Anglicana, cæteris paribus, unde antecedens diſtingueretur, ſi neceſſitas id poſtularet.

Objicies quinto, altercationem inter Eccleſiaſticos, & religioſos eſſe Scandaloſam. reſpondeo, quod imperfecti, ſic etiam ſcandalizari poſſint de D. Paulo, eo quod reſiſterit D. Petro, Chriſti Vicario in terris, dicens, quod reprehenſibilis erat, & quod nec ipſe, nec alii qui conſenſerunt ejus ſimulationi, recte ambularent ad veritatem Evangelii ad

Galat.

Galat. 2. de quibus verbis, nullus perfectus debet ſcandalizari, ſed potius ipſa admirari. Voluit Spiritus ſanctus, quod illa Petri & Pauli altercatio haberetur in ſacra Scriptura ad noſtram inſtructionem; nec facile de Clericorum altercatione ſcandalizemur. Reſpondeo ſecundo *ex cap. Niſi cum pridem de renuntiatione, quod inter ſcandalum & ſcandalum eſt ſubtiliter diſtinguendum, ſicut Dominus ipſe diſtinxit, cui, cum dixiſſent Apoſtoli, Scis quia Phariſæi, audito verbo hoc ſcandalizati ſunt: Reſpondit, Sinite illos, quia cæci ſunt, & duces cæcorum. Alibi vero dixit, Qui ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis, qui in me credunt, expedit ei ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus, & demergatur in profundo maris.* Subtilis vero illa diſtinctio de ſcandalo Phariſæorum, puſillorum, perfectorum, & imperfectorum. Item de ſcandalo dato, & accepto, activo, & paſſivo, obiter habetur apud ſcholaſticos. Verum quia ſingulorum expoſitiones plus replerent, quam mihi ab initio propoſueram. Tantum in medium afferam reſponſionem ex Gloſſatore in caput inter verba 11. q. 3. & ſunt fere verba ipſius capitis, *Quod ſcilicet infamantibus eſt ſatisfaciendum, ſi parati ſunt recipere, ne ſcandalizarentur.* Quod probat exemplo Chriſti, qui ne Judæi ſcandalizarentur, ſolvit tributum; *ſi autem nolunt ſatisfactionem recipere de ipſorum ſcandalo, non eſt curandum.* Hoc etiam probat non ſolum exemplo divi Pauli, ſed etiam Chriſti; qui cum audiſſet Phariſæos ſcandalizatos, eo quod dicebat cibos non eſſe diſcernendos, nimirum quando dixit, (non quod intrat in os coinquinat hominem) non curavit; ſed ait, *Sinite illos, quia cæci ſunt, & duces cæcorum.* Nemo, ſi me mea non fallit opinio, qui narrationem facti, ac primum articulum hujus quæſtionis, leget & intelliget, ſibi à patre Coppingero ſatisfactum negabit; Ipſius jurisdictio ſaltem uſque ad capitulum generale non poterat expirare; ſecundum tenorem ſuæ inſtitutionis per Generalem Ordinis, niſi ob demerita depoſitione digna: &

tamen

tamen inaudita parte, paulo post ejus institutionem fuit amotus ob falsa motiva; & ut fertur ob suspitionem in fide catholica, vel tanquam conscius commissionis patris Taaffe. Unde secundum Ordinis statuta recte & canonice appellavit. Pendente ista appellatione nihil poterat innovari. Nec adversarius induci in possessionem rerum de quibus quæstio vertebatur. Et si induceretur, deberet appellans restitui in pristinum gradum antequam appellationis causa examinaretur. Hæc veritas fundatur in Canonibus Ecclesiæ. Igitur nullus indifferens, aut æquus rerum Judex, potest scandalizari saltem de patre Coppingero; sed potius admirari Coppingeri patientiam, aliorum violentiam, & superiorum conniventiam. Si quis scandalizetur de veritate, quæ odium aliquando parit; sciat quid dicit Regula tertia Juris extra. *Utilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur.* Nemo nisi temerarie judicando potest hanc satisfactionem secundum Canones Ecclesiæ Coppingero debitam, & ab ipso propterea exactam, vanæ gloriæ, superbiæ, vel ambitioni attribuere: cum ipse vas Electionis, divus Paulus injuste cæsus, & in carcere inclusus, exire noluisset; nisi facta sibi prius congrua satisfactione. Cum enim custos carceris dixisset Paulo & suis, quod miserunt Magistratus Lictores ut dimittantur, & eant in pace. Noluit divus Paulus occulte exire in pace, antequam fieret sibi & suis publica satisfactio. Hoc est, quod ipsimet Magistratus in persona propria, publice eos libertate donarent; Et propterea *Venientes Magistratus deprecati sunt eos, & educentes rogabant ut egrederentur de urbe*, Actor. 16. Cornelius à lapide in illud caput versu 37. asserit quod divus Paulus taxat injustitiam Magistratus, quod præcipitarit tam sententiam, quam pœnam, inaudita causa, & paulo infra ponderat magnanimitatem divi Pauli, quâ egredi de carcere noluit, nisi Magistratus sententiam ferat de ejus innocentia, idque publice. Si magnanimitas divi Pauli laudetur, eo quod hujusmodi satisfactionem

à præ-

à prævicatoribus legum Romanorum exegiſſet : nonne ejus vituperanda eſt puſillanimitas, qui à Canonum Eccleſiæ tranſgreſſoribus, & Curiæ Romanæ, per ſuas malas informationes, deceptoribus ; decretorumque ab eadem curia, ob falſa motiva, Emanatorum, ſubreptoribus ; eandem vel ſimilem ſatisfactionem non expoſtularet, magis ob debitam reverentiam & obedientiam erga ſedem Apoſtolicam, quam ob ullum proprium intereſſe, *Ut is qui ex adverſo eſt, vereatur, nihil habens malum dicere de Eccleſia Romana*, de qua nonnulli hujus Regni Magnates (proh dolor) de die in diem, magis ac magis ſcandalizantur ob ſubreptitium illud decretum inaudita parte emanatum in favorem Patris Geanor, quibus aliter ſatisfieri forte non poteſt, quam per ejus revocationem, vel ſaltem ſuſpenſionem, & reſtitutionem Coppingeri in priſtinum ſtatum; non enim ignorant canones Eccleſiæ, quibus id ſtatuitur in cauſa Appellationis ; & eo magis ab Eccleſia Romana avertuntur, quo hæc facinora impunita relinquit. Non ſunt tamen audiendi in mea quidem opinione, qui ſuſpicantur Curiam Romanam, ideo promovere par, fas aut nefas ad dignitates, & officia, perſonas ſuſpectas, aut minus gratas, & tempore rebellionis notatas tanquam ſedicioſas, ut ſubditos Regis paulatim ſubtrahat ab obedientia ipſi debita, ſaltem niſi quæſtio ſit de obedientia ſpecificata in Remonſtrantia quæ communiter attribuitur patri Petro Valeſio in temporalibus & civilibus. Si hæc Remonſtrantia ſit ingrata Romanis, & tot cauſa ſcandalorum, profecto, ut mihi videtur, minus grata debet eſſe alia Remonſtrantia, ſeu aliud juramenti genus, nuperrime inventa, & à Valeſio nullo modo excogitata, imo potius impugnata ; ſed, ut audivi, (non tamen firmiter credo, quia *qui cito credit, levis eſt corde*,) à quodam prælato, noviſſime ad ſuam prælaturam, per curiam Romanam elevato, dixi quod hæc minus debet eſſe grata Romanis quam illa Valeſii ; nam in rei veritate, mihi videtur minus ſana ac tuta, ſalvo ſemper meliori judicio ; non eſt tamen meum,

hanc

hanc vel illam improbare, ne alienæ jurisdictionis temerarius videar usurpator, velim tamen ut excolantes culicem, camelum non deglutiant.

His fere typis mandatis, inveni Suarium, & diligenter perlegi de immunitate ecclesiastica, & nec ipse, nec ullus ab illo citatus adversatur doctrinæ traditæ in hoc articulo; imo ipsam omnino defendit ac tuetur, ut patet ex sequentibus ejus verbis, lib. 4. cap. 34. n. 9. *Quando Clericus versatur inter paganos, vel hæreticos; ubi nulli sunt Prælati, vel Judices veram Ecclesiasticam jurisdictionem exercentes. Et tunc in primis dicendum est, si status ille sit durabilis, & valde generalis in aliqua Provincia, consulendum esse Summum Pontificem, si fieri possit, ut remedium adhibeat, quia ipse est supremus Judex, & ibi alius propinquior deest. Si vero aut casus est particularis & extraordinarius, aut non datur locus consulendi Pontificem, aut exequendi mandata ejus, tunc casus reducitur ad terminos juris naturalis, vel gentium, & ideo licebit uti remedio quocumque honesto secundum rectam rationem; vel dici etiam potest, tunc posse convenire clericum coram Judice laico, jure defensionis, quia ille tunc est modus suavior se defendendi, vel jus suum conservandi, aut recuperandi, aut etiam communi loco consulendi* Noster vero casus est particularis, & extraordinarius, cui similis hactenus cum omnibus suis circumstantes, ni fallor, non est inventus in provincia Hiberniæ, nec datur locus consulendi pontificem, aut exequendi ejus mandata, in canonibus Ecclesiæ tradita, in casu appellationis. Ergo ex Suario licet uti jure naturali, vel gentium, recurrendo ad protectionem principis, cujuscumque sit Religionis.

Item Suarius de immunitate l. 4. cap. 34. num. 30. *Ait quod justa defensio habet magnam quandam speciem illius naturalis æquitatis, quia vim vi repellere licet.* Et num. 31. *Videtur ipsi hic usus maxime necessarius, quia nisi hæc defensio interdum adhibeatur, sæpius innocentes gravissime opprimen-*

jur à ſuis proximis Judicibus, vel Prælatis Eccleſiaſticis, quia vel omnino non poſſunt, vel non ſine magno diſpendio ad ſuperiores Prælatos recurrere, & præſertim ad Romanam curiam longe diſtantem.

Objicies, Difficile videtur Suario ſupra num. 36. hunc modum defenſionis admittere, vel approbare tanquam juſtum, *Ex vi ſolius legis naturalis, qua vim vi repellere licet*, quoties non ſupponitur evidens aut manifeſta violentia ſolo facto impedienda, & non jure examinanda, aut vindicanda. Reſpondeo iſtam difficultatem non ſe habere ex parte oppreſſorum, qui vi ſolius legis naturalis, qua *vim vi repellere licet*, implorant auxilium Principis, ſed ex parte protectorum ſeu defenſorum, qui non ſolo facto oppreſſos defendunt, ſed juriſdictionem in Clericos exercent examinando judicialem rei indaginem, & proferendo ſententiam juridice, de appellatione injuſte negata, vel cenſura male impoſita, vel alia vi ſimili injuſte illata: qui actus ſecundum Suarium ſupra num. 24. ſunt juriſdictionis; & ideo num. 32. Dicit ipſe quod hæc defenſio, quamvis habeat ſpeciem naturalis æquitatis, nihilominus illam applicare ad praxim, & ad excuſanda plurima facta Judicum ſæcularium, difficillimum eſt, cujus rationem dat paulo infra, *Quia* (inquit) *cum ſæcularis Judex non habeat juriſdictionem in Clericum, non poteſt propter defenſionem uti juriſdictione in ipſum; ergo ſolo facto poteſt adverſus clericum, ſe vel alios defendere.* Quod ſi ſolo facto Judex ſæcularis protegat oppreſſum, nulla erit difficultas, etiam ſecundum Suarium ex parte Judicis. Et hæc defenſio, abſque ulla juriſdictione ſufficit in noſtro propoſito. Nonnulli tamen Doctores excuſant Judices ſæculares ſimilia facientes (id eſt exercentes juriſdictionem in ſolo articulo, quem judicandum aſſumunt,) quia, inquiunt, hoc eſt illis jure canonico conceſſum, ideoque non ſine debita juriſdictione procedunt, & ad confirmandam hanc opinionem plura juris canonici capita referunt; ad quæ ipſe-

met

met Suarius reſpondet n. 38. quod innullo eorum, quæ allegantur, ſermo eſt de poteſtate juriſdictionis in res, vel perſonas Eccleſiaſticas, quæ laicis tribuatur. Et n. 39. ait, quod juxta hunc ſenſum, facillime, intelliguntur reliqua jura allegata, in nullo enim illorum (inquit) eſt ſermo de juriſdictione, nec de actu, qui illam requirat, ſed de defenſione, tuitione, aut auxilio, quod & Principes ſæculares Eccleſiæ debent, & Eccleſiaſtici Prælati ab illis poſſunt exigere. Quænam harum opinionum, ſit verior, nempe, illorum, qui aſſerunt violentiam poſſe reprimi per viam facti & juriſdictionis per Principes ſæculares; aut Suarii, id aſſerentis per viam facti, nec approbantis, nec etiam reprobantis id fieri per modum juriſdictionis, ob privilegia Apoſtolica. num. 43. Alii judicent? quia nihil mea intereſt, quandoquidem ſufficiat illa defenſio, illa tuitio, illud denique auxilium ab omnibus admiſſum, id caſu violentiæ & injuſtitiæ.

Reſpondeo ſecundo Objectioni, Quod in noſtro caſu, ſupponitur evidens & manifeſta injuria, ſolo facto impedienda: Nam ut alias taceam injurias, ſola ſufficiunt ſtatuta edita per Reverendiſſimos Hiberniæ Epiſcopos, menſe Junii 1670. & in Momonia publicata, præſertim per Franciſcum Bruodinum, inconſulto, & forte contradicente Metropolitano loci, (qui præfata ſtatuta benigne & favorabiliter, me præſente, interpretatus eſt Limerici, illa, cum ſint odioſa, reſtringendo) ut Coppingerus, & ſui, fame pereant, aut violentiæ cedant, ſi Principis patrocinium, quamprimum non imploraſſent, aut divina providentia, aliunde eis non ſubveniſſet. Ut neminem lateat, quam rigoroſa, ne plus dicam, ſint illa Epiſcoporum ſtatuta, ſalva ſemper Conditorum gratia, verba eorum ad hanc controverſiam ſpectantia, in medium afferam. Alia eorum ſtatuta in præjudicium Ordinum Religioſorum, & præſertim Mendicantium edita, contra habitum, quem ſub modio abſcondere jubent, quod Apoſtolica vetant privilegia aliis Religio-

ſis, quibus plus otii eſt, ac ingenii refutanda, modo relinquam. Hæc ſunt verba illorum.

Statuimus, ut nulli fratrum Franciſcanorum, qui non obedierit infra triginta dies, à data horum actuum, ſuo ſuperiori, ſcilicet Reverendo patri Petro Geanor, quem nobis conſtat eſſe legitimum ſuperiorem Provincialem, ullus catholicus confiteatur, vel ejus ſacrum audiat, aut Eleemoſynas ei publice petenti elargiatur poſt illos triginta dies. Quid amplius ſupereſt Coppingero & ſuis, niſi ut invidia, fame, ſcilicet, ſiti, frigore & nuditate, conſumantur? uno verbo, ut velut alter Nebuchodonoſar ejiciantur ab hominibus, & cum beſtiis & feriis ſit habitatio eorum, & fœnum quaſi bos, comedant. Si tamen ipſum fœnum illis publice petentibus eleemoſynam, elargiri liceat, per illa noſtrorum Præſulum ſtatuta, ut jugum ipſorum ſit ſuave, & onus leve. Hoc ſaltem jugo ſuavior eſt lex civilis, quæ etiam malefactoribus, læſæ Majeſtatis, reis, in ergaſtulis ob ſua crimina incluſis, neceſſaria naturæ publice ſubminiſtrat. Adhuc tamen ſupereſt patibulum Mordochæi & Aman, quod à longe vaticinans pater Franciſcus Bruodinus ad me ſcripſit 17 January 1669. ſtilo veteri, dicens, Inter alia opprobria lubricæ congenita linguæ, *videbitis (ni fallor) Ordinem Regium contra vos, ſicut mihi proteſtatus eſt unus vidiſſe ſe, apud Archiepiſcopum Dublinienſem nuper.* Hæc tam manifeſta violentia, ſolo facto impedienda, non jure examinanda, aut vindicanda ſupponitur.

Reſpondeo tertio, ſi Sereniſſimus Rex noſter hanc violentiam ſolo facto reprimeret, & juridice, non examinaret, nec vindicaret, quod multo minus diceretur violare immunitatem Eccleſiaſticam, quam alii Principes etiam Catholici totius orbis, qui non ſolo facto, defendunt eum, qui vim patitur, ſed jnriſdictionem, teſte Suario ſupra n. 34. circa clericos exercent, cauſam ad ſe advocando, & acta cauſæ cum

pro-

proceſſu in Eccleſiaſtico tribunali, formato, ad ſe afferri, præcipiendo, & poſtea cauſam juridice examinando, ac tandem, ſententiam de appellatione injuſte negata, vel cenſura male impoſita, vel alia vi ſimili, injuſte illata, proferendo. Hi autem ſunt actus Juriſdictionis. Quod ſi Clementiſſimus Rex noſter non procederet per modum Juriſdictionis, ſed propria authoritate, viribus & potentia per viam facti, quare diceretur ullo modo violare, quantum ad hoc, immunitatem Eccleſiaſticam, quæ non violatur niſi uſurpationem Juriſdictionis? Si etiam procederet per viam Juriſdictionis, quare diceretur violare immunitatem Eccleſiaſticam, potius quam alii Principes cum tali Juriſdictione procedentes in ſuis Regnis, de quibus Suarius ſupra 43.

Alii, inſolubilem (ut ipſis videtur) hanc objectionem mihi paucis ab hinc diebus propoſuerunt: nempe quod Pater Coppingerus prius deberet proſequi ſuam appellationem in Curia Romana, quam recurrere, ad protectionem Principis, etiamſi ſolo facto, abſque uſurpatione ullius Juriſdictionis, procederet. Verum fabricatores hujus objectionis, non minus tenentur deferre appellationi interpoſitæ ad ſummum Pontificem, quam Pater Coppingerus ad illam proſequendam. Sed quidquid ſit de hoc, Reſpondeo primo, negando ſuppoſitum, quia impoſſibile erat Patri Coppingero humanitus loquendo, proſequi ſuam appellationem in Curia Romana per ſe, aut per ſuum Procuratorem, aut per ſuas literas miſſivas, ob ſequentem validam rationem, quia in his temporibus iter illud valde tædioſum per mare & per terras, perfici non poteſt, conſideratis omnibus circumſtantiis, abſque ſubſidio aliquo pecuniario: At Pater Coppingerus per violentiam Patris Geanor, & ſuorum, nec non Epiſcoporum Hiberniæ, omni humano ſubſidio deſtitutus eſt, ergo impoſſibile erat ipſi proſequi ſuam appellationem in Curia Romana. Major probatur teſtimonio ipſius Patris Geanor aſſerentis, quod nec ipſe, nec prætenſus ejus Cuſtos,

nec

nec eorum Vicegerentes absque viatico valeant proficisci in Hispaniam ad Capitulum generale: sed multo difficilius est petere Romam quam Hispaniam, quia tantum Oceanum dividit Hispaniam ab Hibernia, sed utrumque simul, Oceanum scilicet, & Mediterraneum separat ipsam à Roma, præter alia Regna, ac plures montes asperos & petrosos; ergo ex testimonio P. Geanor, vel saltem à paritate rationis, imo & à fortiori, non poterat Pater Coppingerus absque subsidio aliquo pecuniario perficere iter illud, Romam versus. Testimonium illud Patris Geanor habetur in quodam instrumento sub manu ejus propria, cujus tenor sequitur.

'Cum Capitulum generale jam immineat, & nos cum nostro 'Custode in persona propria, vel per nostros Vicesgerentes 'illuc ire teneamur, *nec id sine Viatico præstare valeamus:* 'hinc est, quod singulis Guardianis, & Conventuum Præsidibus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna privationis 'officii, præcipimus intra quadragenta horas ab harum recceptione, omni tergiversatione postposita, triginta solidos, ad 'illum effectum, & alias Provinciæ necessitates sublevandas, 'harum Exhibitori dent. Datum in Conventu nostro de 'Montefernan die 25 Jan. 1669.

Fr. *Petrus Geanor*
Vicarius Provincialis.

Extat aliud instrumentum ejusdem P. Geanor, ac praesi sui diffinitorii Die 18. Octobris 1669. exigentis viaticum pecuniarium pro Patre Hugone Cormukt, juxta mandatum Reverendissimi P. Generalis, cujus tenorem brevitatis causa omitto. Ex quibus adversæ partis instrumentis, patet, quod neque Geanor, nec ipsi adhærentes, nec à Generali missi in Hiberniam, vel ad ipsum inde revertentes, susceperunt iter longe facilius, quam iter illud Romanum, absque subsidio aliquo pecuniario. Quomodo igitur P. Coppingerus

rus vel ejus Procurator, aliud longe difficilius arriperet, absque ullo prorsus hujusmodi subsidio.

Quod autem hujusmodi subsidio P. Coppingerus sit omnino destitutus, liquido constat; nam P. Geanor omnes conventus, qui hujusmodi subsidium in necessitate suppeditarent, ab obedientia P. Coppingeri violenter subtraxit, & Hiberniæ Episcopi statuerunt, quod nullus elargiatur Eleemosynam illis, qui non agnoscerent Patrem Geanor, velut suum legitimum superiorem, quorum Coripheus est P. Coppingerus. Unde ergo haberet subsidium? forte ab amicis, at nonne ipsimet amici scrupulose timent Episcoporum statuta: & si non timeant, ne quidem obolum darent Coppingero ut Romam debilis in ætate provecta, petat; aut Regnum deserat; ergo à primo ad ultimum impossibile erat Coppingero prosequi suam appellationem, humanitas loquendo in Curia Romana. Nec supplere poterat per literas missivas, quia omnes supprimuntur per complices patris Geanor; quemadmodum & ipsemet suppressit appellationem P. Coppingeri. Quod tuta conscientia, & cum debita obedientia erga sedem Apostolicam facere non poterat: licet enim prætendat se posse Coppingeri literas supprimere, nescio tamen qua authoritate, vel confidentia, impedire, aut non mittere auderet literas, & præsertim appellationem, ad hunc effectum, sibi commissam, ad sedem apostolicam: ergo cum nemo ad impossibile teneatur, potest P. Coppingerus in tali impossibilitate & necessitate recurrere ad protectionem principis contra violentiam tam apertam.

Objiciunt adhuc alii, quod per hujuscemodi recursum, pœna forte sanguinis erogaretur alicui, unde recurrens in irregularitatem incideret. Respondeo, quod severe supponit hæc objectio, adversæ partis crimina esse tam enormia, ut pro eis sanguinis pœna erogaretur, quod absit omnino, & P. Coppingerus admonitus verbis D. Pauli 1 Cor. 6. magis injuriam acciperet, & fraudem magis pateretur. Sed quid-

qu-

quidquid ſit Pater Coppingerus proteſtatur expreſſe juxta caput *Prælatis de homicido in6.* quod nec vindictam, nec pœnam ſanguinis intendit: ſed tantum emendam ſibi fieri, & provideri ne de cætero, talia contra eum, aut ſuos præſumantur; quod ſufficit, ut evitetur irregularitas, ſi Judex mortem inferat, juſtitia exigente, magis quidem premitur pars adverſa hac objectione, quam P. Coppingerus, quia non veretur mortem, & patibulum minari, & ſuperiores majores ſollicitare, ut per juridicas citationes, Coppingerum & ſuos è Regno, Regiſque Dominio, in aliena regna evocent, ut ſi ſuperioribus, ne Regis mandatum, Regnique leges violarent, obtemperare formident, tonitrua & fulmina cenſurarum expectent. Sin autem ſuperioribus morem gerant, domi tanquam mandati Regis, Regnique legis, per Catholicos, ſtabilitæ, & à Catholicorum tempore inviolabiliter obſervatæ, tranſeſſores accuſentur. Quis quæſo non ſuſpicaretur eos, qui P. Coppingerum, & ſuos tanquam reos læſæ Majeſtatis criminantur, eo quod admiſerint & executi fuerint, ſecundum Canones, commiſſionem, quam à ſede Apoſtolica emanaſſe, non dubitarunt, ob varia teſtimonia fide dignorum, nec non ob utriuſque Cleri conſenſum, quique Coppingerum & nonnullos ei adhærentes, in multis, quæ pias aures offenderent, impudice calumniantur abſque ullo fundamento, niſi ab ipſis ficto (non minus fere quam Patrem Petrum Valeſium, quem nunc Epiſcopum, nunc Diaconum, nunc Archidiaconum Eccleſiæ Proteſtantium Anglicanæ, imo & matrimonio conjunctum abſque ſcrupulo affirmant, quæ omnia pernicioſa ſunt mendacia, & quamvis eſſet Cain, vel Antiochus, vel Judas, vel ipſemet Lucifer, illicitum tamen eſſet calumniari ipſum, nam quemadmodum Deus, hæc non poteſt facere, ſic nec approbare, unde multo minus poteſt ullus tuta conſcientia calumniari illum, de cujus ſalute non deſperatur) eoſdem etiam cum fundamento in pœnam capitis adducturos, Si contra Regis

manda-

mandatum Regnique leges, abſque ulla expreſſa vel tacita licentia, Regnum, aut Regis Dominium deſererent ob ullius Prælati citationem, in rebus forte Regi, ac Regno ſuſpectis.

Demum objicitur, cum tota fere Provincia, jam Patri Geanor obtemperare videatur, ob ſtatuta Reverendiſſimorum Hiberniæ Epiſcoporum, quod P. Coppingerus in iſtis circumſtantiis, non poteſt recurrere ad protectionem Principis. Reſpondeo, quod hæc Objectio demonſtrat Coppingerum neceſſitari ad illum recurſum, cum aliud remedium non habeat, niſi Juri ſuo velit cedere, imo honori & famæ renuntiare, quia propter demerita, & forte ſuſpicionem in fide Catholica diceretur depoſitus. Fateor quidem Patrem Geanor & ſuos, ſubjugaſſe fere totam noſtram Provinciam; ſed quomodo? fallaciter, quidem & violenter. Fallaciter, primo jactando Patrem Geanor fuiſſe inſtitutum per breve, ſeu Bullam Pontificiam, cum non ſit Bulla, nec Breve ſummi Pontificis, ſed ſubreptitium decretum Cardinalis Protectoris, quamquam de mandato ſummi Pontificis, & authoritate ſacræ Congregationis emanatum. 2. Utendo falſo ſigillo. 3. Imponendo Cardinali fallaciter, quod excommunicaverit reſiſtentes Patri Geanor. Violenter quidem 1. Terrendo per fulmina & tonitrua invalidarum cenſurarum. 2. Formidando per patibulum, crucem, & exilium in longinquas partes. 3. Procurando citationes ut reſiſtentes Patri Geanor, evocentur ex Provincia par fas aut nefas, ſub ſpecioſo aliquo prætextu, abſque ullo humano ſubſidio, quod ſibi fieri nollent. 4. violenter ſpoliendo P. Coppingerum de nocte ſigillo ſui Officii, de his legatur natratio facti, & primus articulus hujus. Ad ſtatuta Epiſcoporum. Reſpondeo, me quidem latere qua authoritate invalida hujuſmodi ſtatuta condiderint, contra Religioſos ab eorum juriſdictione exemptos. Prætendunt quidem ſe recepiſſe à Curia Romana, commiſſionem ſeu mandatum ad protegendum patr[illegible]

Geanor, & consequenter ad supprimendum patrem Coppingerum. Hanc quidem commissionem exhibere nolunt, aut ejus transumprum tradere, & propterea hujuscemodi commissio seu mandatum suspectum est, ob rationes assignatas in narratione facti, pag. 35. dato etiam quod recepissent à Curia Romana hujuscemodi commissionem vel mandatum, certum est, quod eum exequi non poterant tuta conscientia, supposito, (quod ipsimet fatentur,) nempe patrem Geanor in multis abusum fuisse prætensa sua jurisdictione, seu potestate. Manifestum enim est, quod abutens sua jurisdictione, vel potestate, est insufficiens ad servitium & communem utilitatem Fratrum, alioquin non abuteretur sua jurisdictione in detrimentum Fratrum, sed qui non est sufficiens ad servitium, & communem utilitatem Fratrum, est deponendus, etiam si Generalatus fungeretur officio, secundum Regulam, cap. 8. his verbis, *Si aliquo tempore appareret universitati Provincialium & Custodum, prædictum ministrum non esse sufficientem ad servitium, & communem utilitatem Fratrum, alii Fratres quibus electio data est, alium sibi teneantur eligere.* Ergo si verum est, quod pater Geanor abutitur sua jurisdictione, non debet protegi in pretenso suo officio, nec Curia Romana id unquam, per suum mandatum, voluit, cum certissime teneat potestatem non esse datam Ecclesiæ in destructionē, sed in edificationem ut testatur D. Paulus 2 Cor. 10. Pergunt tamen Præsules nostri, & protegunt patrem Geanor juxta prætensam suam commissionem, ac Coppingerum injuste supprimunt. Hic Lectorem rogo & obsecro, ut æqua lance ponderet, angustias patri Coppingero imminentes. Amotus est ab officio, (inquiunt) quia commissionem patris Taaffe, cui Episcopus, qui solus nobis sanus supererat, & plures Notarii Apostoloci testimonium perhibuerunt, una cum utroque Clero culari & Regulari, admisit, & juxta suum tenorem executus est. Nunc vero quia aliam etiam extraordinariam commissio-

miſſionem horum Præſulum, non admittit, proprerea quod nec ipſam, nec ejus tranſumptum unquam vidit, ſed tantum audivit ab illis, qui teſtimonium perhibent de ſeipſis, debet inedia conſumi, ob horum Epiſcoporum ſtatuta, nonne quæſo anguſtiæ ſunt ei undique, quia admiſit commiſſionem more ſolito authenticam, amotus eſt ab officio in auditus, & quia non admittit (ne iterum decipiatur) non authenticatam, ut noſtrorum Præſulum, fame peribit, vel extremo ſaltem periculo exponetur. Admittat igitur, vel non admittat, authenticatam, vel non authenticam, ſemper luet pœnas. Et quare hoc? quia ut canem cædas, facile eſt invenire baculum, & quia adhuc vivunt, illi, in quorum perſona loquitur ſacra Scriptura, dicens, *Sit fortitudo noſtra lex juſtitiæ*, Sap. 2.

Poſtremo Objicitur, Quod tam in narratione facti, quam in ſolutione hujus queſtionis ſupponitur falſum, nimirum patrem Coppingerum rite & canonice appellaſſe, cujus contrarium probatur. 1. Quia non ſufficit appellare à Protectore, cum illud decretum de mandato ſummi pontificis, & authoritate ſacræ Congregationis emanaverit. 2. Quia iſta appellatio non fuit in forma. 3. Quia Coppingerus non petiit, Apoſtolos. Hæc Objectio videtur ridicula, & reſponſione indigna, non meretur quidem vocari ſophiſtica, vel captioſa, ſed potius animalis, & *animalis homo non percipit ea quæ Dei ſunt*. Homini igitur rationali. Reſpondeo, quod potius adverſa pars ſupponit falſum, nempe illud decretum eſſe ſummi Pontificis, & non Protectoris. Cum Protector in perſona propria loquatur, dicens, *caſſamus, irritamus*, &c, & quod ordinariis ſuis facultatibus utatur, & proprio ſigillo ac nomine decretum illud munierit, & Secretarius, de ejus mandato ſubſignaverit. Deinde non à Protectore tantum appellavit Coppingerus, ſed ab illo decreto cujuſcumque ſit, & à mandato ſummi Pontificis, & ſacræ Congregationis, ad ipſummet ſummum Pontificem, melius ſcilicet informandum.

tum. Continetur enim illud ſummi pontificis mandatum in illo decreto, ut legenti patet. At Coppingerus appellavit ab omnibus contentis in illo decreto, ergo appellavit à mandato ſum mi pontificis, & ſacræ congregationis, contento, in illo decreto. Qui dicunt appellationem Coppingeri non eſt ſe in forma. Ignorant forte appellationis formam, quæran-2 *q. 6 poſt.* & invenient. Similiter qui aſſerunt patrem Coppingerum non petiiſſe Apoſtolos, vel non legerunt appellationem, vel egregie mentiuntur. Et quamvis non petiiſſet, quid tum? quid quæſo ad ſubſtantiam appellationis. Præterea in tertia appellatione quam patrem Geanor ſuppreſſiſſe, inſinuavi ſupra, interponitur quædam clauſula ſupplens omnes hujuſmodi defectus (ſi interveniſſent) ſeqnentis ſcilicet tenoris, *Protector inſuper de corrigendo, mutando, & emendando hoſce meam appellationem & querelam, iiſdem addendo, vel ſubtrahendo, eaſdemque in meliorem & competentiorem formam redigendo juxta Juris-peritorum conſilium, intra tempus de jure indultum, prout moris eſt, Juris, atque ſtili.*

Quæ de hac controverſia, vel ulla alia materia hactenus ſcripſi, vel in poſterum forte ſcribam, ſubjecta ſint determinationi ſanctæ Matris Eccleſiæ, Catholicæ, & Apoſtolicæ, Romanæ, in cujus ſinu vivere & mori voveo, ac permitto.

T. H.

FINIS.